16 Item. Via divisionis ab unitate in multitudinem procedit, via vero compositionis a multitudine in unitatem. Cum ergo adicitur signum distributivum termino communi, dividit illum in multitudinem prout est divisa, aut in unitatem³⁴ prout est coniuncta. Tunc enim efficitur³⁵ divisio termini communis per terminum distributivum. Redit iterum quod divisio terminetur in partes. Et ita ut prius.

17 Forte dicetur quod huiusmodi nomina 'omnis' et consimilia stant collective. Sed contra. Collectiva habent oppositionem ad dividua et ad relativa. Quare sicut impossibile est relativum fieri dividuum vel econverso, similiter erit impossibile dividuum fieri collectivum. Item. Omne nomen collectivum aut colligit partes in accidentali aut in substantiali. Si in accidentali, tunc erit tale nomen collectivum ut 'populus'; et istud dividit ex opposito cum nomine dividuo; et hoc modo non potest hec dictio 'omnis' teneri collective. Si in substantiali, tunc aut erit nomen generis aut speciei. Et neutro istorum modorum dicitur 'omnis' collectivum.

18 Ad hoc dicimus quod partes subiective alicuius totius in quantitate duplicem habent comparisonem. Unam ad suum totum. Et sic ex quo multiplicat suum totum, dicunt divisionem respectu totius sui; dividuum enim et distributivum est istud quod est ad singularia divisivum, commune vero collectivum est. Aliam vero habent comparisonem ille partes ad predicatum. Et sic potest predicatum

32. effectum] effectum V

33. relativum fieri non relativum] reliquum fieri non reliquum V

34. unitatem] multitudinem V

35. efficitur] inferet V

attribui eis coniunctim et etiam unicuique divisim.³⁶ Ut patet cum dicitur: 'quatuor unitates collectae sunt quatuor'. Non igitur ex eadem parte dicuntur istae partes divisivae et collectivae.

1.3 De multiplicitate incidente circa terminum disiunctum

19 [83ra] Quaecumque ordinatur signum distributivum cum termino disiuncto, multiplicitas accedit ex eo quod potest distributio determinare partem vel totum, hoc est unam partem termini disiuncti tantum vel alteram tantum vel utramque vel alteram in comparatione ad reliquam.

Quod patet cum dicitur: 'OMNIS PROPOSITIO VEL EIUS CONTRADICTIONARIA EST VERA'; 'OMNIS AFFIRMATIONIS VEL NEGATIONIS ALTERA PARS EST VERA'; 'OMNE RATIONALE VEL IRRATIONALE EST SANUM'. Potest <enim> simul distributio uniri uni parti tantum (et sic vera est), vel uni in comparatione ad reliquam (et sic iterum vera est); vel utrique; et sic falsa est.

20 Sed tunc obicitur quod distributio non potest adici uni parti tantum. Si enim <sint> duae materiae equaliter receptivae alicuius forme et illa forma equaliter et indistincte se habeat ad illas materias, non est maior ratio quare accipiat magis in una materia quam in alia. Igitur cum duo subiecta equaliter sint receptiva distributionis et distributio equaliter se habeat ad utrumque subiectum, non recipietur distributio in altero subiecto nisi recipiatur in reliquo. Quare non erit distributio determinativa unius substantivi.

21 ITEM. Quod non possit esse <de>terminativum utriusque sic ostenditur. Forma multiplicatur a multitudine subiecti. Cum igitur una sit forma secundum numerum, non potest esse in diversis subiectis. Sed in termino disiuncto sunt plura distribuenda. Et <si> una est determinatio secundum numerum, non erit possibile ut illa distributio sit in diversis subiectis. Et ita non potest adici utrique.

22 ITEM. Quod non possit adici uni³⁷ in comparatione ad aliam sic ostenditur. Universalis enim modus est universaliter. Quare unius modi erit

36. divisim] unum V

37. uni] unum V

subiectum unum. Quare non econtrario? Quia³⁸ cum dicetur 'omnis propositio vel eius etc.' (similiter in similibus³⁹), non poterit signum universale sumere quandoque participabile ab uno universalis quandoque ab altero, sed ab uno⁴⁰ tantum. Quare nulla videtur distinctio.

23 Ad primum dicendum quod forma datur materie per aliquem motum⁴¹ qui est efficiens. Unde ad hoc quod forma detur materie, non solum oportet quod ipsa possit recipi in ipsa materia et materia recipere, sed etiam quod detur per causam efficientem mediam. Unde cum non possit dividere hoc modo istud per distributionem mediam, patet quod distributio potest fieri sic vel sic.

24 Ad aliud dicendum quod sic est in natura quod una forma secundum numerum multiplicat eandem formam secundum speciem in alia materia, ut caliditas que est in igne, multiplicat se in obiecto. Similiter dicendum est de distributione quod, licet sit una secundum numerum, tamen habet potestatem multiplicandi se.

25 Ad tertium dicendum quod [83rb] unius universalis unus est modus, sed < alterius > universalis alius⁴² est. Patet < sic > solutio ad tertium.

1.4 Continuatio

26 ITEM. Quando[cum]que solvitur ad sillogismum apparentem quod non sumitur maior extremitas sub medio, ut si fiat sillogismus sic: 'omnis propositio vel eius contradictoria est vera; sed omnis propositio vel eius contradictoria + etiam propositio est propositio +. Ubi⁴³ dicitur quod non sumitur maior extremitas sub medio.

27 Quandocumque sic solvitur, *contra*: tripliciter dicitur *aliquid non sumi sub medio*. Quia < uno modo > illud quod sumitur sub medio, est communius⁴⁴ ipso medio, sicut *substantia* communior sit quam sit *animal*. Hoc autem non impedit sillogismum, licet minor sit falsa. Quod patet in hoc sillogismo:

38. quia] quare V

39. similibus] similia V

40. uno] una V

41. motum] modum V

42. universalis alius] universale aliud V

43. ubi] unde V

44. communius] communis V

'omne animal currit
sed omnis substantia est animal
ergo omnis substantia currit';

minor falsa est; tamen necessarius est sillogismus. Quare iste modus sub medio sumendi⁴⁵ non impedit sillogismum. Alio vero modo sumitur aliquid non sub medio, sicut quando neutrum sub altero continetur, sicut est in oppositis, quia neutrum oppositorum sub altero continetur. Sed iterum huiusmodi sumptio non impedit sillogismum. Contingit enim ex altera necessaria et altera impossibili sillogizare. Ut patet cum dicitur:

'omnis homo est animal
sed omnis asinus est homo
ergo etc.'

Tertio modo sumitur aliquid non sub medio quando ipsa convertibilia sunt, sicut *homo* et *risibile*. Sed hoc iterum non impedit sillogismum. Numquam⁴⁶ ergo sub medio sumere impedit sillogismum.

28 Ad hoc dicimus quod contingit 'sumere non sub medio' dupliciter, quia⁴⁷ aut secundum substantiam aut secundum rationem. Nullus autem modus sumendi medium in diversa substantia impedit sillogismum.⁴⁸ Sicut patet secundum tres modos superius assignatos. Diversitas tamen in ratione impedit. Ut patet cum dicitur '*omnis propositio vel*' etc., ubi⁴⁹ neque li '*propositio*' neque '*eius contradictoria*' sumitur secundum totalem sui ambitum. Unde non sumitur '*omnis propositio*' sub eo. Similiter respondendum est in similibus.

45. sumendi] sumendo V

46. numquam ergo] neque autem V

47. quia aut] quando autem V

48. sillogismum] subiectum V

49. ubi neque li] null' V

1.5 De multiplicitate incidente circa terminum generalem

29 ITEM. Quandocumque adicitur signum distributivum termino generali, multiplicitas accidit eoquod potest fieri distributio pro partibus propinquis vel remotis.

Unde hec est duplex: 'OMNE ANIMAL CURRIT', 'OMNE SCIENS VIDETUR A ME', et similia. Si enim fiat distributio pro partibus propinquis, tunc is est sensus: *homo currit, asinus currit* etc. Si pro partibus remotis, tunc is est sensus: *omnis homo*⁵⁰ *et omnis leo* etc.

30 Positio autem quod distinctio sit vera patet sic. Mobile⁵¹ de necessitate potest moveri dupliciter: vel ut stet in termino ad quem est motus, vel ut stet citra⁵² terminum. Quare cum dividere sit quoddam movere,⁵³ poterit fieri divisio usque ad simplicissima in dividendo, scilicet usque ad individua; vel poterit stare citra.⁵² Et ita poterit fieri distributio pro partibus propinquis et remotis.

31 Item. Illa positio <patet> per Aristotilem. Qui dicit⁵⁴ se velle invenire methodum per quam poterimus sillogizare de omni problemate. Constat quod non de omni secundum numerum, sed secundum speciem. Et ita potest esse distributio sic et [83va] sic.

32 Sed videtur quod hoc sit falsum. Omnis motus nature ad perfectum est. Eodem modo erit omnis motus mobilis ad perfectum. Ergo et motus rationis in dividendo erit ad divisionem perfectam. Se divisio per opposita non est nisi fit status in indivisibili in illo genere. Quare oportet stare ad indivisibile. Sed non est indivisibile in hoc genere nisi⁵⁵ individuum. Quare non erit status nisi in individuo. Et sic semper erit distributio pro partibus remotis.

33 Item. Pars secundum materiam et pars secundum speciem opponuntur. Sed omnis distributio est in partes secundum materiam. Quare nulla est in partes secundum speciem. Et ita nulla est divisio secundum speciem, sed pro individuis tantum.

50. homo] Vb currit add. b

51. mobile] movebis V

52. citra] V extra b

53. movere] moveri V

54. Topica I 1, 100a18-20

55. nisi] nec V

34 Item. Dici de omni est quando nichil est sumere sub *etc.*⁵⁶ Ergo nullum individuum contingit sumere sub genere quin de eo dicatur predicatus. Et ita ut prius.

35 Item. Omne veniens ab uno extremo prius attingit medium quam reliquum extremum. Sed species est medium inter genus et individua. Quare non dividetur⁵⁷ genus usque ad individua et necesse est ut prius dividatur per species. Et ita si fiat divisio in partes remotas, necesse est <et> in partes propinquas fieri.

36 Ad hoc dicendum concedendo distinctionem per positionem predictam. Dicimus etiam quod fit etiam in natura motus perfectionis perfectus et imperfectus. <Imperfectus> est quando +⁵⁸ perfectus tamen in illo genere. Similiter dicendum quod divisio generis in species imperfecta est respectu divisionis usque ad individua, perfecta⁵⁹ tamen est in suo genere, licet sit ita <quod> forme respectu individuorum uno tantum modo sunt partes materiales ipsius generis, sicut individua specierum et generum.

37 Concedendum etiam est quod *dici de omni* est quando pro speciebus fit distributio. Nullum enim contingit huiusmodi sumere de quo non dicatur predicatum, quia nulla⁶⁰ est denique partium propin quarum de qua predicatum non di<catur>.

38 Ad ultimum obiectum debet responderi quod hoc intelligendum est cum precisione.⁶¹

56. Cf. Arist., *Anal. Priora* I 1, 24b28-30.

57. dividetur] dividatur V

58. *textus perdifficilis lectus in nostro codice*

59. perfecta] perfectio V

60. nulla] nullum V

61. precisione] V item add. V

II DE TERMINIS RELATIVIS

39 ITEM. Ut pretactum est, quandoque fiunt signa distributiva per adiectionem supra nomina interrogativa, ea scilicet que in substantia sunt nomina interrogativa, copulativa et infinita. Propter hoc consequenter dicendum est de relativis. Eorum ergo quedam sunt que sunt relativa reciproca, quedam non reciprocantur. <? ... ?>. Item. Non reciprocorum quedam autem sunt relativa tantum, quedam autem sunt relativa cum implicatione; relativa tantum, ut 'is' et 'idem'; cum implicatione, ut 'qui'. Item. Eorum que relativa sunt tantum, quedam fiunt sine compositione, ut 'ille', 'ipse'; quedam vero per adiectionem, ut 'idem'.

2.1 De multiplicitate incidente circa relationem et implicationem

40 Quandocumque¹ ergo ordinatur aliquod nomen relativum in oratione quod potest esse implicativum vel non, [et] ex hoc [83vb] accidit multiplicitas eoquod potest esse implicativum et relativum vel relativum tantum.

Ut patet in hiis et consimilibus: ID QUOD EST SANUM EST EGRUM, SI SORTES EST EGER; similiter: ID QUOD EST ALBUM EST NIGRUM, SI SORTES EST NIGER; similiter: ID QUOD EST VERUM EST FALSUM, SI TE SEDERE EST FALSUM; similiter: ID QUOD EST MOVENS EST SEDENS, SI SORTES SEDET;² <ID QUOD EST> SCIENS EST NESCIENS, SI SORTES EST NESCIENS. Et similiter in omnibus consimilibus est multiplicitas ex eo quod hec dictio 'quod' et aliquod eius inflexum potest esse relativum tantum <vel implicativum et relativum>. Et sic omnis talis verificatur. Et sic cum dicitur 'id quod est verum etc.', hoc quod est 'verum' cadit³ extra consequentiam, et est sensus: *si te sedere est falsum, hoc est falsum*, demonstrato *te sedere*, quod est verum. Si vero sit implicativum, conditionalis est⁴ impossibilis, quia antecedit possibile et sequitur impossibile.

41 Similiter est, dato quod Sortes dicat solum Platonem loqui, inde: 'SORTES DICT' ID QUOD EST VERUM, SI SOLUS PLATO LOQUITUR'. Si li 'qui' sit implicativum, tunc ordinatur totum sub conditione; et propositio falsa est. Si vero

1. quandocumque] quoniam V

2. sedet] currit V

3. cadit] cadat V

4. est impossibilis] vel imparalis (?)V

non, tunc⁵ cadit extra et est sensus: *Sortes cogitat id quod est verum, si solus Plato cogitat; Sortes enuntiat verum, si solus Plato enuntiat.*

42 Sed quod non sit verum quod hec dictio 'qui' possit teneri implicative vel relative videtur. Si enim fit implicatio in hac dictione 'qui', hoc aut⁶ erit per naturam relationis quam habet, aut per naturam substantie cum qualitate quam significat, aut propter naturam utriusque. Non propter naturam relationis, quia sic quodlibet <relativum> esset implicativum. Nec propter substantiam et qualitatem quam significat, quoniam sic quodlibet nomen esset implicativum. Nec propter coniunctionem horum, quoniam si est talis causa,⁷ tunc que relationem significant cum substantia et qualitate, essent implicative. Quare videtur quod hec dictio 'qui' nullo modo possit esse implicative.

43 Item. Discreta relatio et demonstratio pronomini bus insunt, non autem similiter nominibus. Ex quo igitur implicativum consequens est ad naturam relationis, cur implicatio non inveniatur in pronomini bus relativis, in nominibus autem inveniatur?

44 Item. Ut dicit⁸ Priscianus, relativum habet ordinari in alia clausula quam suum antecedens. Et ita *qui* non erit implicativum. Item. Relativum dividitur per relativum reciprocum et non reciprocum. Quare, cum relativum reciprocum non possit esse in nomine, neque implicativum poterit esse in eodem.

45 Ad hoc dicimus quod 'qui' est implicativum. Habet autem implicationem a natura substantie infinite significa[n]te in dependentia. Quiditas enim ipsius implicationis est infra substantiam eius cuius <est> quiditas. Propterea cum id quod est de substantia alicuius velit esse unum e[st] insimul cum eo de cuius est substantia, hoc ipsum 'qui' erit implicativum. Et non est [84ra] simile de hiis nominibus sicut 'quantus', neque etiam de pronomini bus que solam substantiam significa[n]t.

46 Dicendum etiam quod relativum secundum quod est relativum habet ordinari in alia ratione quam suum antecedens. Cuius ratio est quod relativum habet determinare equivocationem in equivocis vel multipliciter nominis in

5. tunc] sed V

6. aut] autem V

7. causa tunc] causatur V

8. ubi?

nominibus univocis. Et hoc in respectu⁹ ad actum verbi vel passionem. Tamen secundum quod addit aliquid supra relativum, <hoc> non est necessarium, sicut patet in pronomine reciproco. Eodem modo de nomine dicendum implicative.

2.2 De multiplicitate incidente circa respectum relativi ad suum antecedens

47 ITEM. De relativis a proportionem ad suum antecedens due tantum dantur regule, quoniam si diversificatur relatio, aut hoc erit propter naturam antecedentis aut propter diversitatem dispositionis alicuius unius antecedentis.

Quandocumque ergo ordinatur relativum cum antecedente dispositionem habente, multiplicitas accedit eoquod potest referre illud prout est sub dispositione, vel non.

48 Per hoc patet solutio huius sophismatis: OMNIS ASINUS EST ET QUODLIBET ALIUD¹⁰ AB ILLO EST NON ASINUS. Similiter:¹¹ OMNE MUSICUM EST ET QUODLIBET ALIUD AB ILLO EST NON MUSICUM.

49 Obicitur autem in contrarium quod necesse est ut referatur ad subiectum cum dispositionibus. Quod sic ostenditur. Antecedens et relativum ordinem habent¹² et respectum ad se invicem. Sed duorum relativorum inter se necesse est utrumque respicere reliquum prout illud est relativum, sicut filius patrem inquantum pater est. Quare erit necesse¹³ ut relativum respiciat antecedens. Sed eodem modo quo subiectum est antecedens, est sub distributione.¹⁴

50 Item. Eorum que non sunt de essentia alicuius, quedam sunt per se accidentia, quedam extranea. Illa autem que per se accidentia sunt, semper et omni insunt. Quare necesse est quod quicquid inest subiecto illius per se accidentis, et conveniat subiecto habenti in se per se accidens. Quare cum universaliter sit per se accidens universalis, necesse est ut quicquid referat illud, referat ipsum habentem illum modum qui est *universaliter*. Et ita semper subiectum sine distributione.

9. respectu] ratione V

10. aliud] asinus V

11. similiter] simile V

12. habent] dicit V

13. necesse] nomina V

14. distributione] V vel distinctione add. V

51 Sed hiis concessis videtur contrarium. Idem subiectum recipit diversa accidentia inordinata secundum se vel ad se. Quoniam non est necessarium ut ab illo modo quo habet unum accidens in se, quod illo modo habeat reliquum, quare non est necessarium quod illo modo quo¹⁵ distribuitur, quod respiciat actum verbi sequentis.

52 Quod concedendum est sumpta 'relatione' improprie. Sumpta vero 'relatione' proprie necesse est ut sub suis dispositionibus referatur, secundum quod ostensum est.

53 Ex hiis patet qualiter obiciendum est ad hanc regulam:

quotienscumque sunt plura accidentia ad quorum alterum indifferenter potest relativum referri, accidit multiplicitas ex eo quod potest referri vel ad unum vel ad reliquum.

Et hec de relativis sufficiant.

III DE CONIUNCTIONIBUS

54 Consequenter dicemus de coniunctionibus. Sunt autem coniunctiones tres penes quas incidunt difficultates [84b] in orationibus: copulativa, continuativa, disiunctiva. In aliis vero non fiunt¹ difficultates nisi prout reducuntur ad virtutem alicuius² istarum. Quod patet per naturam coniunctionis. Si aliqua uniuntur, aut uniuntur per modum continui, aut contigui, aut partim sic partim non sic. Si primo modo, tunc est virtus conditionalis, que notatur per hanc dictionem 'si'. Si secundo modo uniuntur, tunc per naturam copulationis. Si partim sic partem non sic, tunc per naturam coniunctionis disiunctive³ uniuntur, per cuius virtutem uniuntur sermones et disiunguntur sententie. Item. Quecumque uniuntur ad se invicem, aut ex alterius positione utrumque⁴ ponitur aut non. Si sic, tunc continuantur. Si vero non, aut utrumque sic ponitur, et tunc copulantur; aut non utrumque sed alterum sub disiunctione, et tunc disiunguntur.

3.1 De continuativis

55 Primo ergo dicemus de continuativis. Sciendum ergo quod

quando ordinatur hec dictio 'si' cum pluribus enuntiabilibus, accidit multiplicitas eoquod totum coniunctum potest esse antecedens unum vel unumquodque antecedens per se.

Ut patet cum dicitur sic: 'SI SORTES CURRIT⁵ SI PLATO CURRIT TU ES ASINUS'; 'SI ALBUM EST SI MUSICUM EST TU ES CAPRA'. Similiter accidit quandocumque <ordinatur> cum duabus categoricis propositionibus impertinentibus sibi coniunctis vel pluribus, ut 'SI ASINUS CURRIT TU ES CAPRA SI SORTES DISPUTAT'; et sic de aliis. Hec enim conditionalis est impossibilis: [si] 'Sortes currit <si> Plato currit'. Et ex impossibili sequitur quidlibet. Ergo, posita nota conditionis ad hanc,⁶ sequitur quidlibet. Quare hec erit necessaria: 'si Sortes

1. fiunt] *V* sunt *b*

2. alicuius] *V* om. *b*

3. disiunctive] *b* disiuncte *V*

4. utrumque] utrum *V* verum *b*

5. currit] est *V*

6. ad hanc] adhuc *V*

currit si Plato currit, tu es asinus; sed Sortes currit et Plato currit; ergo etc.'. Patet quod, si hec dictio 'si' habeat hoc totum pro antecedente uno: 'Sortes currit, si Plato currit', propositio vera est, quia antecedit impossibile. Si vero unumquodque per se sumptum sit antecedens, scilicet hec 'Sortes currit' vel hec 'Plato currit', propositio simpliciter falsa est, quia antecedit contingens et sequitur impossibile. Sic patet in similibus.

56 Sed obicitur contra iam dicta quod non potest sic unum antecedens fieri ex ipsis sic geminatis. Copulatio enim et continuatio et disiunctio sic se habent quod unumquodque illorum est inter duas extremitates. Sed extrema in continuatione sunt antecedens et consequens. Quare uniuscuiusque continuationis erit unum antecedens et reliquum consequens. Et ita si multiplex est $< +$ recipere potest $+ >$ ⁷ venire⁸ in unum antecedens. Et ita nulla est distinctio illa quod potest illud coniunctum esse unum antecedens impossibile.

57 Item. Ordinatio propria et per se perfectorum est. Quod patet, quia non est ordinatio nisi eorum que finita sunt. Hec dictio 'si' nata est ordinari quasi inter perfecta. Sed nullum perfectum in aliqua via est materiale ad aliud in eadem via. Quare hec dictio 'si' non recipiet supra se rem eiusdem generis. Quare non plures conditionales in uno antecedente erunt. Et ita hec distinctio nulla.

58 Item. Compositio huius verbi 'est' est compositio propositionis categorice; similiter hec dictio 'si' ypotetice. Quare si hoc verbum 'est' manens in sua perfectione non [84va] recipit aliud supra se, similiter nec conditio recipiet aliam conditionem supra se. Et ita sicut necesse est cum geminetur hoc verbum 'est', coniunctionem copulativam vel disiunctivam geminari, si debeat fieri oratio una -, similiter necessarium erit in hiis recipi coniunctionem copulativam mediam vel disiunctivam.

59 Ad hoc dicitur quod si dicatur: 'si Sortes currit si Plato currit [si] Cicero currit', unaquaeque coniunctio continuativa habet istud pro antecedente 'Sortes currit', pro consequente: 'Plato currit'. Reli[n]quum vero habet istud totum 'Sortes currit si Plato currit' pro antecedente et illud pro consequente: 'Cicero currit'. Dicimus⁹ etiam quod sicut quedam categorica est¹⁰ simplex quedam

7. *textus perdifficilis lectu*

8. ? *pro unire*

9. *dicimus*] *diximus* V

composita, sic conditionalis. Unde sicut una categorica potest esse materialis ad aliam, non tamen simplicem sed compositam, similiter dicendum est de conditionali. Est autem illa conditionalis simplex que fit ex duabus categoricis, illa vero composita que habet conditionalem in antecedente vel consequente, unam scilicet vel plures. Quodcumque¹¹ ergo multiplex conditio in conditionali <est>, accidit distinctio predicta.

3.2 De simili multiplicitate incidente circa modos 'necessario'
et 'contingenter'

60 Quodcumque ordinatur 'necessario' vel 'contingenter', vel aliquis alius modus vel aliquod habens¹² equipollentiam horum cum dicto conditionali <s>, accidit multiplicitas eoquod potest esse adiectivum totius vel partis.

Ut patet si <c>. Sit necessarium 'ego curro si tu curris'. <Tunc: ME NON CURRERE SI TU CURRIS> EST IMPOSSIBILE. Patet probatio. Propositio est impossibilis. Quare eius dictum¹³ similiter. Idem accidit huic: SORTEM MOVERI SI SORTES CURRIT EST NECESSARIUM. Propositio enim necessaria est. Quare dictum. Patet deductio: sed Sortes currit; quare etc. Idem accidit in simili, ut *me loqui si tu loqueris* etc.

61 Simile est: Sit A instans quoddam futurum, poterit tamen non esse. <Tunc: est impossibile>: *Deum esse est verum in A, si A non erit*, quia *Deum esse impossibile*¹⁴ est in A, si A non erit. Quare DEUM ESSE NON ERIT VERUM IN A, SI A NON ERIT. Patet quod si hec dictio 'verum' sit adiectivum huius totius 'Deum esse si A non erit', vera est propositio. Si autem sit adiectivum partis, falsa est. Similiter accidit in similibus.

62 Contra hoc sic obicitur. Videtur enim necessarium quod, si aliquis modus respiciat compositionem vel debeat referri ad ipsam immediate, magis [enim] immediate est propria dispositio ad proprium subiectum quam ad non proprium. Sed

10. est] et V

11. quodcumque ... predicta] V^c om. V

12. habens equipollentiam horum] equipollentium Vb

13. dictum similiter] dictum, similiter V

14. impossibile est] si V

modus est propria dispositio compositionis, coniunctio autem non. Ut patet. Coniunctio enim coniunctiva est plurium nominum vel verborum vel adverbiorum. Quare si alterum illorum debeat immediate ad compositionem referri, modus ad eam referetur. Et ita numquam erit adiectivum totius, sed partis.

63 Item. In logicis duo sequuntur ad esse speciei, scilicet proprium et per se accidens. Proprium autem est consequens [im]mediate, accidens autem immediate. Quare cum modus sit propria dispositio compositionis, necesse est quod prius adveniat compositioni quam appositio¹⁵ extranea. Et ita semper cadit coniunctio per medium ad compositionem, et non ad verbum.

64 Item. In conditionali ponitur compositio consequentis sub conditione. Sed propositio antecedit naturaliter dictum propositionis. Ergo eodem modo in dicto prius [84vb] recipit compositio consequentis determinationem per conditionem quam recipiat[ur] aliquam aliam determinationem. Et ita modus cadet¹⁶ semper supra dictum conditionalis.

65 Ad hoc dicimus quod quedam sunt dispositiones alicuius manentis in sua simplicitate.¹⁷ Et ita si istud recipiat compositionem, necesse est ut alia dispositio cadat media inter subiectum et id quod adicitur subiecto. Quedam vero sunt appositiones ipsius, sive <sit> secundum se sive recipiat additionem. Et talis appositio est necessitatis vel contingentie.¹⁸ Potest enim referri ad compositionem habentem extraneam dispositionem ad suas extremitates vel ad compositionem secundum se existentem. Patet ergo quod non est obiectio de aliis dispositionibus. Ex hiis patet solutio ad obiecta.

3.3 De multiplicitate incidente circa negationem verbi consequentis

66 Item:

Quandocumque ordinatur aliquid ad verbum consequentis in conditionali, accidit multiplicitas eoquod potest respicere verbum consequentis absolute vel sub conditione.

15. appositio] (!)V

16. cadet] caderet V

17. simplicitate] V^c specialitate V

18. contingentie] contingentia V

Ex hoc patet solutio huiusmodi sophismatis: NULLUS HOMO LEGIT PARISIUS NISI IPSE SIT¹⁹ ASINUS; NIHIL EST VERUM NISI IN HOC INSTANTI; NICHIL EST VERUM NISI IPSUM SIT FALSUM; NICHIL EST SANUM NISI IPSUM SIT EGRUM; NICHIL EST CURRENS NISI IPSUM SIT SEDENS; NICHIL EST MOVENS NISI IPSUM SIT QUIESCENS.

Si enim in aliquo istorum referatur negatio ad verbum consequentis absolute, falsa est propositio; si in comparatione ad antecedens, vera est.

67 Similiter dicendum est in omnibus. Cum enim dicitur: NULLUS HOMO LEGIT PARISIUS etc.; si indicetur *nullum hominem legere Parisius* sequi ad hoc *ipsum non esse asinum*, falsa est propositio; et sic improbatur. Si vero verbum consequentis in comparatione ad antecedens, vera est, et est sensus: non sequitur hominem legere Parisius, si ipse non sit asinus.

68 Obicitur autem contra. Videtur enim quod necesse sit negationem determinare verbum consequentis absolute. Cum enim dicitur: 'nullus homo legit Parisius etc.', dispositio non est separata ab eo cuius est dispositio. Hoc patet, quoniam non movetur forma, immota substantia. Quare cum negatio sit dispositio eius quod est 'aliquis' in hoc²⁰ signo 'nullus' secundum li 'nullus' habet compositionem²¹ ex 'non' et 'aliquis', non extendet se ultra illud ad quod extendit suppositio del 'aliquis'. Et ita cum li 'aliquis homo' respicit tantum verbum consequentis, et negatio tantum illud idem respicit.

69 Item. Unius compositionis una est divisio per se et proprie. Unum enim uni opponitur proprie. Quare cum negatio sit una, tantum respiciet compositionem unam. Et ita non totam consequentiam.

70 Item. Videtur quod <negatio> tantum debeat respicere verbum consequentis in comparatione ad antecedens, quoniam eodem modo quo aliquid affirmatur, eodem modo debet negari. Quare negatio debet referri ad verbum consequentis. Sed in affirmativa non indicatur secundum virtutem²² conditionis nisi consequens esse, si antecedens sit. Quare illud idem debet negari. Quare negatio debet referri ad verbum consequentis in comparatione ad antecedens. Et ita nulla est prior distinctio.

19. sit] b scit V

20. hoc] V^c om. V

21. compositionem] comparisonem V

22. virtutem] veritatem V

71 Item. Cum dicitur: 'nullus homo legit Parisius etc.', hoc [85ra] pronomen 'ipse' quia relativum est, exigit aliquid precedere quod sit suum antecedens, quia, ut dicit²³ Priscianus "qui dicit 'suus filius ministrat michi', solecismum facit". Sed iterum hoc quod est 'ipse' est + alicuius est communis +. Quare habebit ordinem priorem. Quare prius erit idem et posterius. Quod esse non potest.

72 Ad hoc dicimus quod prima est multiplex, sicut pretactum est, scilicet 'nullus homo etc.' et quelibet consimilis, secundum multiplicitem²⁴ pretactam. Unde dicendum quod eodem modo subicitur aliquid secundum quod predicatur aliquid vere de illo. Non autem indicatur predicatum de subiecto consequentis nisi sub conditione. Unde nec subicitur nisi sub conditione, per locum a correlativis. Differenter potest aliquid subici sub conditione: aut enim sub compositione negata simpliciter, aut sub conditione.

73 Dicendum etiam, sicut dicit²⁵ Priscianus: quedam sunt que postponuntur necessitatis causa, sicut rectum habet preponi eoquod a recto incipit constructio; et tamen rectum postponitur cum dicitur: 'Sortem videt suus filius' causa relationis. Similiter dicendum est quod consequens habet preponi ut locum habeat sequens relatio.

74 Per predicta videtur solvi, et similia: NULLUS HOMO EST SI ALIQUIS HOMO EST; NULLUS HOMO SEDET SI ALIQUIS HOMO SEDET, et multa similia. Probatio uniuscuiusque²⁶ talis. Non sequitur quod: 'hoc album non est, si aliquod album non est; et sic de singulis; ergo nullum etc.'. Quelibet enim singularium multiplex est, scilicet quod negatio potest dupliciter verbum consequentis determinare. Si absolute, falsa; si in comparatione, vera est. Quare, ut videtur, universalis est multiplex.

75 Dicimus autem quod non, sed est simpliciter falsa, quia hec est falsa: 'si aliquis homo est, nullus homo est'. Preterea. Dicimus quod est fallacia

23. *Inst. gramm.* XVII 167, 20-21.

24. multiplicitem] b multitudinem V

25. *an in* Peter Heliae, *ad Inst. gramm.* V, 86, 135sqq.?

26. uniuscuiusque] unusquisque V

consequentis in²⁷ argumentatione. Et generaliter: quodcumque fit processus a partibus ad universale in conditionali, est fallacia consequentis et secundum figuram dictionis.

Similiter dicendum est in similibus.

IV DE PLURIBUS IN ORATIONE DETERMINANDIS

- 76 Quando sunt plura determinanda in oratione que possunt determinari per determinationem, multiplicitas accidit eoquod possit determinare hoc vel illud.

Quod patet cum dicitur: NULLO HOMINE CURRENTE TU ES ASINUS; similiter: NULLO HOMINE SEDENTE TU ES CAPRA. Et similiter de similibus. Si enim negatio tendit ad participium, falsa est; si ad verbum, vera. Satis simile est: TU SCIS QUOD NICHIL SCIS QUOD SI TU SCIS, TU NICHIL SCIS; TU SCIS QUOD NULLUS HOMO EST QUI SI EST NULLUS HOMO EST; NULLUS HOMO SEDET QUI SI SEDET NULLUS HOMO SEDET. Cum enim dicitur 'tu scis quod nichil scis', si negatio determinet hoc verbum 'scis' absolute, propositio falsa est; si in comparatione ad illud quod sequitur, vera est. Idem accidit in omnibus aliis, idest fallacia compositionis et divisionis.

77 Contra hoc sic obicitur. Cum dicitur: *nullo homine currente*, videtur quod negatio non possit referri ad verbum sed ad participium. Impossibile enim est quod dispositio sit alicubi nisi ibidem sit subiectum propositionis. Sed negatio cadit supra participii¹ significatum. Ergo ubi significatum² participii refertur, necesse est quod [85rb] ibidem referatur negatio. Sed actus ipsius participii³ denotatur esse in re nominis participii. Quare et negatio dividet istud idem, et non refertur ad verbum.

78 Item. Quod semper debeat referri ad verbum et non ad participium sic probatur. Compositio non est in participio nisi propter verbum; habet enim actionem et passionem a verbo. Sed si non habet compositionem nisi verbo mediante, negationem non recipiet nisi mediante verbo. Et ita verbum semper recipiet negationem.

79 Ad hoc dicimus quod potest negatio referri vel ad verbum vel ad participium, eoquod ablativus absolutus prestat sui consequentiam respectu actus ipsius. Patet < ergo > quod negatio potest referri sic vel sic.

1. participii significatum] participium figuratum V
2. significatum participii] figura cum participium V
3. participii] partis V

80 Dicendum etiam est quod hec potest multipliciter intelligi: "compositio non est in participio nisi mediante verbo". Si enim intelligatur quod participium derivatur a verbo et propter hoc recipit actum et passionem eius, vera est propositio. Si vero intelligatur quod res verbi sit media inter compositionem participii et ipsum participium, falsa est propositio. Similiter intelligendum est de similibus.

81 Ex predictis videtur solvi hoc sophisma: SI NICHIL EST, NICHIL ESSE EST VERUM, quia si negatio que est in consequente referatur ad hoc verbum 'esse', falsa est propositio; si ad hoc verbum 'est', vera est.

82 Sed contra. Si propositio est negativa, eius dictum est negativum. Sed hec propositio: 'nichil est' est negativa. Quare et eius dictum. Sed dictum non est negativum nisi referatur negatio ad *esse*. Quare ex hoc quod fit processus a propositione ad suum dictum, debet etiam semper negare hoc verbum 'esse'.

83 Quod concedimus, supponentes pro regula quod

quandocumque ex duabus conditionalibus quarum altera est vera simpliciter, reliqua nonnisi sub conditione, inferatur aliquid, non debet alterum⁴ inferri simpliciter sed sub conditione.

84 Unde dicimus quod non valet: si nichil est, nichil esse est verum; et si nichil esse est verum, hoc enuntiabile est verum *etc.*; et ita aliquid est verum'. Debet enim addi: 'ergo si nichil est et hoc enuntiabile est, aliquid est'. Simile est: SI NULLUM TEMPUS EST, DIES NON EST. Patet deductio. Similiter: SI NULLUM ENUNTIABILE <EST, NULLUM ENUNTIABILE> EST VERUM [etc.]; SI NULLA PROPOSITIO EST, NULLA PROPOSITIO EST VERA. Idem accidit in consimilibus.⁵

4. alterum] album V

5. consimilibus] orationibus V

V DE DITIONIBUS REDUPLICATIVIS

85 ITEM:

Quandocumque in hoc verbo 'sunt' notetur causalitas, multiplicitas accidit <ex¹ eo quod potest denotari causalitas¹> in² esse vel in numero ipsius esse.

Et generaliter:

quandocumque sic potest notari diversitas cause,³ sic accidit multiplicitas.

Ut patet cum dicitur: ALIQUA IN EO QUOD CONVENIUNT DIFFERUNT; ALIQUA IN EO QUOD SUNT SIMILIA SUNT DISSIMILIA; ALIQUA IN EO QUOD SUNT CONVENIENTIA SUNT DIFFERENTIA; ALIQUA IN EO QUOD SUNT OPPOSITA, NON SUNT OPPOSITA.

86 *Probatio.* Aliqua in eo quod sunt opposita, habent hoc nomen 'oppositi'⁴ commune⁵ et eius rationem.⁶ Sed in eo quod habent hoc nomen 'oppositi' et eius rationem commune,⁷ non sunt opposita, quia quaecumque habent aliquam rationem communem,⁸ in eo quod habent illam, non sunt opposita. Quare aliqua in eo quod sunt opposita, non sunt opposita. Similiter accidit in aliis.

87 Dicimus autem quod cum dicitur: 'aliqua in eo quod sunt convenientia <sunt differentia' per hoc quod dicitur 'in eo' quod' potest notari⁹ causa convenientie in esse vel in numero ipsius esse. Si in esse, vera est; [85va] si in numero ipsius esse, falsa est.

88 Dicendum est similiter in similibus. In tantum autem diversificatur cum dicitur: 'aliqua in eo quod sunt similia, sunt dissimilia', <et 'aliqua in eo quod sunt dissimilia, sunt non dissimilia'>, quod in prima propositione <cum dicitur: 'aliqua' in eo quod sunt dissimilia', habent hoc nomen 'dissimilitudinis' <commune> et eius

1. om. V suppl. coll. BN Lat 15070, f. 60rb

2. in esse] V ex inesse b

3. cause] esse Vb

4. oppositi] opposita V

5. commune] se V

6. rationem] positionem V

7. commune] cum eo V

8. communem] conventa (I)V

9. notari causa] V⁶ notare causa V notare causam b

rationem,¹⁰ 'in eo quod' notat habitudinem effectus ad causam, sicut album est effectus albedinis. In alia vero vero propositione cum dicitur 'aliqua <sunt dissimilia> in eo quod <sunt similia> habent nomen dissimilitudinis commune et eius rationem, 'in eo quod sunt non dissimilia', notat causam¹¹ formalem. Unde est equivocum secundum quod notat causam diversimode.

89 Simile est: ALIQUA IN EO QUOD SUNT EQUIVOCA, SUNT UNIVOCA. Et est eadem solutio.

90 Obicitur in contrarium hoc modo. Causa est <ad> cuius esse sequitur aliud de necessitate. Et hoc¹² est quia ratio cause¹³ <est> generalis ad quatuor causas. Quare omnes cause participant nomen commune univoce <et> eius rationem.¹⁴ Sed <si> universaliter sumitur, equivocationem facit respectu eorum ad que est univocum. Quare si aliquid sumatur pro hac causa vel pro illa, equivocationem non faciet.

91 Item. Eiusdem secundum substantiam est eadem ratio secundum substantiam. Sed idem in substantia potest esse in tribus generibus causarum. Quare trium causarum erit ratio substantie una. Quod autem media sit natura patet, quia tres cause, ut dicit¹⁵ Aristotiles, in unam veniunt: formalis, finalis et efficiens. Quare eis erit una ratio substantie. Et ita si dictio¹⁶ aliqua denotet diversas causalitates,¹⁷ non propter hoc tenebitur equivoce.

92 Item. Cum dicitur 'in eo quod etc.', omnis equivocatio <est>¹⁸ in dictionibus simplicibus¹⁹ vel secundum significationem²⁰ vel secundum consignificationem. Sed id quod dicitur 'in eo quod' non est dictio simplex, sed oratio. Quare non faciet equivocationem.

93 Ad hoc dicimus quod differenter se habent partes orationis quarum significationes sunt infinite et ille quarum significationes finite sunt. Ille enim

10. rationem] positionem V

11. causam] omnem V

12. hoc] hec V

13. cause] esse V

14. rationem] positionem V

15. Cf. *Physica* II 7, 198a24sqq., *De anima* II 4, 415b9 et alibi.

16. dictio] dicta V

17. causalitates] casualitates V

18. <est>] b om. V

19. simplicibus] b simplicis V

20. significationem] figuram Vb

partes orationis que finitas habent significationes, ex adiunctis non variantur²¹ et propterea manent eiusdem rationis. Prepositiones vero et coniunctiones non se similiter habent sed diversificantur secundum diversitatem adiunctorum. Unde est equivocatio ex hac dictione 'in'. Similiter dicendum est²² in similibus.

21. variantur] b nominantur V

22. est] et V

VI DE DICTIONIBUS MODALIBUS

94 ITEM. Restat aliquid tangere de dictionibus modalibus secundum quod faciunt propositionem modalem vel non faciunt. Solet ergo dici:¹

Distinguitur unaqueque oratio habens in se modum quod potest esse sermo de re vel de dicto.

Ut patet cum dicitur ALBUM ESSE NIGRUM EST POSSIBILE; VERUM ESSE FALSUM EST IMPOSSIBILE; IMPOSSIBILE EST TE SEDERE ALIBI QUAM TU SEDES; IMPOSSIBILE EST TE SCIRE PLURA QUAM SCIS; IMPOSSIBILE EST TE CURRERE ALITER QUAM CURRIS.

95 Contra hoc sic obicitur quod quedam sunt que compositioni adiciuntur, quedam que extremis compositionis. Compositioni, ut 'necessario', 'contingenter'; compositioni autem non adiciuntur nisi prout compositio finita est. Finita autem non est nisi per extremitates. Quare necesse est semper ut fiat adiectio ad dictum totale.

96 Preterea. Cum dicimus quod potest fieri sermo de re vel de dicto, queritur que sit ista *res*. Aut est [85^{rb}] esse aut aliud. Si esse, tunc accidit ut prius. Si aliud, tunc *contra*: Aliud non est susceptivum possibilitatis vel impossibilitatis nisi esse vel non esse. Quare semper fit sermo de dicto.

97 Propter hoc autem quod alibi tactum est de hiis, ad hec breviter respondemus quod modus semper refertur ad esse. Sed hoc potest esse tripliciter, quoniam aut prout indifferenter se habet ad extremitates, aut prout magis se habet ad subiectum quam ad predicatum, aut econverso.² Si adiciatur modus ad esse vel ad non esse prout indifferenter respicit extrema, sic fit sermo de dicto. Si vero fiat sermo de esse prout magis se habet ad ad subiectum, sic fit sermo de re. Quod <fit> cum dicitur NON SCRIBENTEM SCRIBERE EST POSSIBILE. Nichil enim aliud est <dicere> hoc modo: 'possibile <est> scribere inesse non scribenti' <quam> quod³ scribens <scribendi> habeat potestatem.

98 Ad hoc dicimus etiam quod semper modus semper predicatur,⁴ ut alibi ostensum est.

1. dici distinguitur] distingui distingui V

2. econverso] econtrario V

3. quod] autem add. V

4. predicatur] V erit add. V predicatum est b

VII DE DICTIONIBUS EXCLUSIVIS

99 Consequenter dicemus de dictionibus exclusivis. Sunt autem tres dictiones exclusive, scilicet 'tantum' et 'solum' et 'solus', exceptive autem 'preter', 'nisi'.¹ De quibus est questio difficilis propter quid dictiones exceptive sint prepositiones vel coniunctiones, exclusive vero sint nomina vel adverbia; et propter quid tantum dictiones exclusive <sint> sub nomine vel adverbio.

100 Ad hoc respondemus quod coniunctiones et prepositiones vincula sunt et propterea in ratione medii. Sed² exceptio similiter significatur in ratione medii, quoniam cum aliquid extra capitur, non est adhuc in termino ad quem. Propter hoc significatur exceptio per huiusmodi partes. Exclusio vero dicit illud quod dicit ut in termino. Propterea significatur per talia que sic se habent. Et sic significat <ur> sicut per nomen et per adverbium. Et quia tantum due partes sunt per se adiective, per eas proprie fit exclusio.

De distinctione prima

101 Quandocumque ordinatur dictio exclusiva cum termino <simplici>, accidit multiplicitas ex eo quod potest fieri exclusio generalis vel specialis.

Unde hec est duplex: TANTUM SORTES CURRIT. Potest enim³ is⁴ esse sensus: non Plato, non Cicero currit. Vel 'tantum Sortes currit' hoc est: *nichil aliud currit.*

102 Per hoc solvitur hoc sophisma TANTUM UNUM EST. Quodsi fiat generalis exclusio, vera est. Si specialis, falsa est, et est sensus: *non plura sunt*; licet melius solvatur per divisionem entis. Simile patet in aliis.

103 Quandocumque ergo accidit hec distinctio in oratione, accidit sic opponere. Si aliquid removetur ab aliquo propter hoc quod est distans ab eodem: si est magis distans, magis removetur. Ut si A removetur a B propter hoc quod non est B sub C; si D magis distat a C quam B, magis removetur istud ab eo.

1. nisi] b ubi V

2. sed] si V

3. enim] V^c om. V

4. is] V om. b

Quare cum predicatum in exclusiva removeatur a diversis a subiecto, et a magis distantibus magis removebitur. Et ita cum magis differant⁵ ea que genere differunt quam que differunt specie: si aliquid removetur a differentibus specie tantum, multo magis removebitur illud [86ra] idem a differentibus⁶ secundum genus. Et ita: si fiat exclusio specialis, necesse est generalem exclusionem fieri.

104 Item. Divisio est sufficiens, sicut et diffinitio, extra cuius dividencia nichil cadit. Ergo si aliquid cadit extra⁷ dividencia, non est divisio sufficiens. Sed ali<qu>a neque generalis <est> neque specialis. Ergo insufficienter dividunt quod potest exclusio talis esse vel talis. Quod autem minor sit vera patet, quia quicquid est genus vel species, istud est sub aliquo. Sed exclusio indifferenter adicitur rebus non determinatis in genere sicut et rebus terminatis in genere. Quare quandoque neque fit generalis exclusio neque specialis.

105 Item. Cum excluditur predicatum ab opposito, vel e converso, hoc non potest esse per se nisi in contradictorie oppositis, quia adicitur exclusio talibus que non habent aliquod aliud genus oppositionis nisi vel affirmationem et negationem. Sed constat quod oppositum affirmationi secundum contradictionem nichil ponit. Quare cum + excludetur oppositum in specie, sed simplex +. Quod patet cum dicitur 'tantum homo', idest *non-homo* removetur a quolibet alio ab homine. Et ita non fiet exclusio specialis.

106 ITEM. Queritur cuius<modi> fallacia sit secundum quod fit generalis exclusio vel specialis. Constat quod si sit aliqua earum; quia est in dictione, erit equivocatio. Sed videtur quod hoc sit falsum. Si enim hec dictio 'tantum' sit dictio equivoca secundum quod facit talem exclusionem vel talem, aut hoc erit propter intentionem horum nominum 'genus', 'species', aut propter id quod est genus aut id quod est species. Non primo modo, quoniam non fit exclusio respectu istarum intentionum. Nec secundo, ut videtur, quia id quod est genus non habet equivocationem cum eo quod est species. Univoca enim est species generi, ut habetur in quarto *Topicorum*.⁸ Quare huiusmodi diversitas non faciet equivocationem.

5. differant] differunt V

6. differentibus] differenter V

7. extra] quam V

8. ubi?

107 Ad hoc dicimus quod dupliciter inest⁹ aliquid rebus.¹⁰ Illud enim aut inest <ut substantiale, aut inest> ut accidentale et extraneum non abstractum. Quod si illud conveniat huic speciei, et removetur ab oppositis secundum genus.

108 Dicendum etiam quod 'generale' et 'speciale' dupliciter dicuntur. Uno enim modo 'generale' est sumptum a 'genere' et 'speciale' a 'specie'. Sic verum est quod distinctio esset insufficiens, si poneretur secundum nomina sic sumpta. Alio modo *generale* est commune ad quidlibet et *speciale*: non ad quidlibet. Et sic accipiuntur 'generale' et 'speciale' in predicta distinctione.¹¹

109 Dicitur et <iam> quod dictio exclusiva significat per consequens divisionem oppositi. Oppositum autem secundum affirmationem et negationem potest esse dupliciter, quoniam aut in genere aut preter genus. Propterea duplex potest esse exclusio,¹² scilicet generis, si sit extra genus, specialis vero, si sit in genere.

110 Dicimus etiam quod in huiusmodi fit fallacia secundum equivocationem, licet¹³ significatio nominis non mutetur; significatio vero adverbii infinitantis¹⁴ mutatur diversitate comparisonum.

De distinctione secunda

111 [86rb] Item:

Quandocumque adicitur dictio exclusiva termino composito, accidit multiplicitas eoquod potest fieri exclusio ratione unius vel ratione alterius vel ratione coniuncti.

Unde hec est multiplex: TANTUM HOMO ALBUS CURRIT. Uno enim modo est^(is) sensus 'tantum homo albus', idest: non alius albus. Alio modo 'tantum homo albus', idest: *non niger*. Tertio modo 'tantum homo albus', idest *non asinus niger*.

112 Contra hanc distinctionem sic obicitur. Videtur enim quod non possit fieri exclusio nisi respectu totius, quoniam fit exclusio respectu oppositi ad

9. inest] V^c est V

10. rebus] duobus V

11. distinctione] b divisione V

12. exclusio] conclusio V

13. licet] sed V

14. infinitantis] infinite V

subiectum. 'Homo' autem non subicitur per se, sed *homo sic sumptus*. Secundum quod dicit¹⁵ Boetius quod cum dicitur 'Sortes cum Platone et discipulis suis', istud totum est subiectum. Quare non fiet exclusio nisi respectu totius.

113 Item. Hec dictio 'tantum' notat divisionem oppositi. Divisio autem est per extrema. Quod patet per rationem differentie: differentia est qua differunt a se singula. Differentia autem est forma vel per modum forme. Quare per formam differunt omnia inter se. Sed per eadem per que differunt aliqua inter se, per eadem dividuntur inter se. Quare non respectu forme debet fieri exclusio. Sed 'album' notat id quod est forma vel se habens ad modum forme. Quare non respectu illius debet fieri exclusio.

114 Item. Quod debeat tantum fieri exclusio respectu del *homo*, sic ostenditur. Divisio enim proprie et per se est a materia. Omnis autem divisio aut est a materie mensura aut a tempore. Quare ex parte materie debet fieri divisio. Et ita non respectu forme. Hec obiectio communis est ad omnem exclusionem.

115 Dicimus autem ad hoc quod potest esse exclusio sic vel sic. Est autem duplex divisio: una que est materialis, et hec est ex parte materie, secundum quam *esse quantum* est divisibile. Alia divisio ex parte speciei est. Et hec est divisio secundum formam, secundum hoc quod homo differt ab asino et leone. Unde cum exclusio sit divisio, potest esse exclusio sic vel sic.

116 Ex hoc patet quod

quandocumque ponitur dictio exclusiva in oratione, accidit multiplicitas eoquod potest excludi respectu huius vel illius.

117 Per hoc patet solutio huius sophismatis: TANTUM ID QUOD EST HOMO ESSE HOMINEM EST POSSIBILE; TANTUM ID QUOD EST ASINUS ESSE ASINUM EST POSSIBILE. Si enim adiciatur huic dictioni¹⁶ *homo*,¹⁷ vera est propositio, et est sensus: *possibile est nichil aliud quam id quod est homo esse hominem*. Eodem modo si adiciatur huic dictioni 'possibile', vera est; et est sensus idest: *non possibile*. Si autem fiat exclusio respectu huius totius dicti: 'id quod est homo esse hominem', falsa est propositio et est sensus: *tantum hoc dictum est possibile*.

15. *De top. diff.* I, 1175d7-9.

16. dictioni] dicto V

17. homo] V esse hominem est possibile tantum id *add.* V del. V^o

118 Per hoc patet solutio <sophismatis> huiusmodi. In rei veritate sex homines currunt et Sortes scit tantum tres illorum currere. Hec est multiplex: SORTES SCIT TANTUM TRES HOMINES CURRERE secundum predictam multiplicitem. Similiter AD SOLUM SORTEM ESSE SEQUITUR SOLUM SORTEM ESSE.

De distinctione tertia

119 ITEM:

Quandocumque ordinatur dictio exclusiva in oratione, accidit multiplicitas eoquod potest fieri exclusio divisim, vel coniunctim.

Cum enim dicitur 'solus Sortes', sensus est: *Sortes et non alius*. Potest tamen hoc removeri¹⁸ a 'Sorte et alio' [86va] aut coniunctim aut divisim.

120 Per hoc patet solutio huius sophismatis, et similium. Sit quod Sortes sciat septem artes, Plato vero sciat quatuor illarum. Inde: SOLUS SORTES SCIT SEPTEM ARTES, quia: Sortes et non alius scit septem artes. Ergo solus Sortes. *Contra*: Sortes et Plato sciunt quatuor¹⁹ artes. Non ergo solum Sortes etc. Patet quod si fiat exclusio coniunctim, falsa est; si divisim, vera.

121 Similiter est hic. Sint tantum quatuor enuntiabilia et Plato sciat duo illorum et Sortes omnia quatuor. Inde: SOLUS SORTES SCIT QUATUOR ENUNTIABILIA. Item.²⁰ Sint tantum sex homines et Sortes percutiat illos sex, Plato vero tres illorum. Inde: SOLUS SORTES PERCUTIT SEX HOMINES + in generibus omnibus +.

122 Obicitur autem contra hoc quod non potest indifferenter teneri coniunctim vel divisim. In hiis enim in quibus <exclusio> videtur indifferenter teneri coniunctim vel divisim, relatio communis²¹ est. Et ut relatio communis participetur ab utroque extremorum coniunctim et non divisim, oportet²² quod utrumque per se sit simile. Quod patet in omnibus que dicuntur per respectum. Sed eius similitudo convenit hiis duobus. Quare cum exclusio insit utrique

18. removeri] teneri removeri (!)V

19. quatuor] VII V

20. item] idem V

21. communis] coniunctim V

22. oportet ... simile] haec verba post convenit hiis duobus habet V

<videtur teneri coniunctim>. Et ita si dicatur 'solus Sortes scit septem artes', fiet exclusio vel generalis vel specialis. Si generalis, tunc excluditur quidlibet aliud a Sorte. Sed 'Sortes et aliud non' est aliud²³ a 'Sorte', quia pars non est idem cum toto. Neque diversa a suo toto. Quare non excluditur sic secundum generalem²⁴ exclusionem. Neque etiam secundum speciale. Non enim fit specialis exclusio quando excluditur oppositum sub eodem modo. *Sortes autem et alius non opponitur Sorti. Quare nullo modo fit exclusio coniunctim.*

123 Ad huius sophismatis solutionem dicitur quod cum dicitur 'Sortes etc.', potest hec exponi ut²⁵ si dicatur: *Sortes non cum alio et Sortes et non alius.* Quod nichil est secundum veritatem, quia adhuc in hiis eadem est distinctio.

124 Propter hoc dicimus quod exclusio est media inter id quod excluditur et <id> respectu[m] cuius fit exclusio. Illud autem quod excluditur quandoque potest esse unum, quandoque duo, quandoque tria. Sic²⁶ ergo cum dicitur: 'ista duo sunt equalia illi', ista duo sunt subiectum equalitatis. Respectu tamen 'solus Sortes scit septem artes', hoc est²⁷ 'non Sortes et alius', id quod est Sortes et alius sunt unum subiectum exclusionis.

125 Istud est patens in aliis. Dicimus quod cum dicitur 'solum hoc est hoc et non aliud', ibi enim dicitur 'aliud' communiter ut dicatur quodlibet esse quod infra illud [quod] cui additur exclusio, non continetur. Unde, facta exclusione circa partem, excluditur totum.

23. est aliud] et alius V

24. generalem] generationem V

25. ut] vel V

26. sic] sicut V

27. hoc est] et hec est V

VIII DE DICTIONIBUS EXCEPTIVIS

126 ITEM. Tripliciter contingit aliquid dividi, quoniam aut dividitur predicatum a subiecto, sicut contingit per negationem, aut dividitur predicatum¹ ab opposito subiecti, vel e converso. Contingit² divisio secunda [vero] per exclusionem, tertia vero per exceptionem. Determinato ergo de primis duabus divisionibus, consequens est aliquid tangere de tertia, scilicet de exceptione.

8.1 De distinctione prima

127 Intelligendum ergo quod

quandocumque plura sunt a quibus potest fieri exceptio, accidit multiplicitas eoquod potest fieri exceptio ab hoc vel ab illo.

Per hoc [86vb] patet solutio huius sophismatis et similium. Sint hic decem animalia alba. Que sciuntur <ab> octo³ illorum⁴ esse alba neque sciuntur ab aliis. Inde: DECEM PRETER DUO SCIUNT SE ESSE ALBA. Patet quod si fiat exceptio ab hac dictione *decem*, vera⁵ est propositio. Si vero ab hac dictione *se*, falsa⁶ est, et est sensus: *decem sciunt se preter duo* [sciunt se] *esse alba*.

128 Idem sophisma accidit posito quod sex homines sint hic sedentes qui sciunt quatuor illorum esse sedentes, duo autem neque sciunt se esse sedentes neque sciuntur ab aliis. Inde SEX PRETER DUO etc. Idem <iudicium> in omnibus.

129 Obicitur autem contra hoc quod cum dicitur: 'decem preter duo sciunt se esse alba', quod dictio exceptiva secundum suam exceptionem non variatur nisi a diversitate adiunctorum. Sed eadem sunt supposita per relativum et suum antecedens. Quare eadem exceptio hic et ibi. Et ita si dicatur 'decem preter duo sciunt se esse alba', sive fiat exceptio a relativo sive ab antecedente, ad idem redit.

1. predicatum] V a subiecto add. V secl. b

2. contingit] vel etiam (sic!) V

3. octo] VII V

4. illorum] illarum V

5. vera] falsa V

6. falsa] vera V

130 Item. Virtus exceptionis est ut sit alicuius et ab aliquo toto et in ratione totius. Sed relativum non habet rationem totius. Quare relativum non significat aliquid⁷ gratia totius, quoniam si sic, tunc relativum non significat ex vi vocis. Quare a⁸ relativo non fit exceptio.

131 Item. Virtus exceptionis est ut sit a toto habente determinatam rationem totius. Sed relativum non determinat aliquam rationem totius, quia si sic, tunc non posset ad quodlibet antecedens referri. Unde vere ab eo non poterit fieri exceptio.

132 Ad hoc dicimus quod idem est. Et quod idem est eundem habet effectum⁹ in oratione. Idem tamen diversimode ordinatum diversa potest causare. Unde cum oratio compleatur mediante ordinatione, aliam autem habent ordi<natio>nem relativum et antecedens, manifestum est quod differens erit exceptio hinc inde.

133 Dicimus etiam quod quedam significant totum secundum rem, quedam vero secundum aliquod consequens determinant in se totalitatem. Quod patet. Si enim¹⁰ dicatur *decem*, totum numerale determinatur¹¹ virtute significationis. Sed si dicatur *decem vident se*, in relativo determinatur totalitas, non de virtute significationis pronominis ipsius sed relationis.

134 Per hoc patet solutio ad tertium.

135 Ex predictis patet quod sic<ut> negatio negationis non est negatio simpliciter sed secundum quid, similiter exceptio exceptionis non est exceptio simpliciter sed secundum quid. Unde sicut non valet: 'negatur negatione; ergo negatur', similiter non valet: 'excipitur ab exceptione; ergo excipitur'.

136 Ex hiis patet solutio ad hoc sophisma et similia. Sit quod unusquisque alius a Sorte excipiat se ab aliqua actione particulari, et non Sortes. Inde OMNIS ALIUS A SORTE EXCIPITUR ET SORTES NON EXCIPITUR. Ergo omnis homo excipitur preter Sortem. Sed contra sic. Excipitur Sortes. Simile est. Sit ita quod unusquisque alius a Sorte excludat se ab aliquo predicato etc.

137 [87ra] Dicimus autem quod non sequitur sic: 'excipitur Sortes; ergo Sortes excipit<ur>', quoniam cum dicitur 'omnis homo preter Sortem excipitur', sic

7. aliquid gratia] aliquod genus V

8. a relativo] aplō (sic!) V

9. effectum] affectum V

10. enim] unum V

11. determinatur] determinare V

excipit <ur> Sortes ab exceptione. Excipi¹² autem ab exceptione non est¹³ excipi simpliciter. Si autem [sic] infertur sic: 'excipitur Sortes et alius a Sorte; ergo omnis homo excipitur', patet quod non tenet. Sicut non sequitur 'Sortes est albus pedem; et omnis alius a Sorte est albus; ergo omnis homo est albus'. Similiter dicendum est in similibus.

8.2. De distinctione secunda

138. ITEM.

Quandocumque excipiuntur duo vel plura respectu alicuius predicati, accidit multiplicitas ex eo quod possunt capi coniunctim extra totum et coniunctum removeri¹⁴ potest ab eis predicatum.

139 Per hoc patet solutio huius sophismatis et similium. Sit ita quod unusquisque ferat lapidem per se preter Sortem et Platonem, qui ferant lapidem in communi. Inde: OMNIS HOMO PRETER SORTEM ET PLATONEM FERT LAPIDEM, quia non est instantia nisi in Sorte et Platone.

140 Sed contra. Sortes et Plato ferunt lapidem. (Simile est, posito quod omnis homo¹⁵ sciat septem artes preter Sortem et Platonem, Sortes autem et Plato sciant eas coniunctim). Inde 'omnis homo preter Sortem et Platonem fert lapidem'. Necessesse est quod aut fiat exceptio coniunctim aut divisim. Sed¹⁶ utroque modo est falsa. Quare simpliciter falsa est. Quod autem utroque modo sit falsa patet. Si enim excipiantur divisim, tunc is est sensus: *omnis homo preter Sortem fert lapidem et omnis homo preter Platonem fert lapidem*. Sed utraque harum est falsa. Quare hoc modo propositio <est> falsa. Si autem¹⁷ excipiantur coniunctim, contingit illis coniunctim sumptis convenire predicatum. Quare uterque excipitur coniunctim. Similiter solvitur¹⁸ in omnibus similibus.

12. excipi] excepi V

13. est] autem V

14. removeri potest ab eis] nos vere ab eque (!) V

15. homo] non V

16. sed] si V

17. autem] enim V

18. solvitur] obicitur V

141 Item. Ut dicit¹⁹ Priscianus, prepositio preponitur vim dictionis sibi defendens. Sed id quod preponitur, relationem habet ad postpositum. Quare erit bene proprie et per se postpositum. Quare sicut²⁰ cum dicitur: *simile sibi simile* unum ad unum respicit, similiter prepositio respiciet unum casuale. Unde cum dicitur: 'omnis homo preter Sortem et Platonem fert lapidem', necesse est quod prepositio tantum respiciat unum casuale. Et ita respiciet utrumque divisim. Et <ita> ista distinctio nulla.

142 OMNIS²¹ HOMO etc., sicut pretactum est, [quod] multipliciter posset exponi, quoniam aut divisim aut distributione; et <tunc aut> divisim removetur²² predicatum ab eis (et sic falsa est propositio), aut coniunctim ab utroque (et sic iterum propositio est falsa), aut coniunctim a distributione ita quod divisim removetur predicatum ab eis; et sic est propositio vera. Patet ergo quod si queratur an²³ excipiat coniunctim aut divisim secundum²⁴ quod est vera propositio, dicendum quod coniunctim a distributione, divisim tamen removetur ab eis predicatum.

143 Dicendum etiam <quod> secundum quod ista duo, *Sortem* et *Platonem* tenentur coniunctim, illa sunt loco unius casualis et ordinem habent sicut unum postpositum ad prepositum. Sicut enim due substantie subiectum unum sunt numero, similiter due possunt esse unum subiectum relationis in²⁵ unaquaque oratione.

144 Ex hiis patet quod non excipitur in exceptiva, videlicet²⁶ id quod est [87b] causa falsitatis in preiacente. Unde patet quod non sequatur: 'DECEM PRETER QUINQUE SUNT QUINQUE; sed hec quinque non sunt illa quinque; quare non excipiuntur', nisi illa quinque in quibus habundat denarius a quinario. Similiter patet in hiis: QUATUOR PRETER DUO SUNT DUO; OCTO PRETER QUATUOR SUNT QUATUOR. Et sic de similibus.

19. *Inst. gramm.* XIV, 24,8-11: "nomini enim, quae principalis est omnium orationis partium, et ceteris quae casus ad nominis similitudinem sumunt, praeposita vim potest sibi dictionis defendere".

20. sicut] sunt V

21. omnis homo etc.] conieci omnino autem V

22. removetur] removeri V

23. an] aut V

24. secundum quod est] sed quod etiam V

25. in unaquaque oratione] conieci; post lacunam sex litterarum operatione (!) habet V

26. videlicet] videtur si V

145 Patet etiam quod <si> exceptio denotet habitudinem partes ad totum, patet quod si ab aliquibus que dicunt partes secundum quod partes²⁷ fiat processus, videlicet²⁸ ad aliquid quod non sit pars secundum quod pars, semper accidit fallacia figure dictionis ex variatione exceptionis. Ut patet, posito quod unusquisque homo <videat> omnem hominem²⁹ alium a se et se non. Inde: OMNIS HOMO PRETER OMNEM HOMINEM VIDET OMNEM HOMINEM. *Probatio.* Sortes preter se videt omnem hominem, Plato *etc.*, et sic de singulis. Ergo omnis homo *etc.* *Sed contra.* Tot excipiuntur quot supponuntur.

146 Simile est: OMNIS ASINUS PRETER OMNEM ASINUM CURRIT. Similiter: OMNIS MUSICUS PRETER OMNEM MUSICUM DISPUTAT CUM OMNI MUSICO. In omnibus est figura dictionis in argumentatione a mutatione exceptionis.

147 Intelligendum etiam est quod licet tot excipiantur quot supponantur, non propter hoc est³⁰ oratio incongrua vel falsa ubi sit idem modus. Ut patet, posito quod tantum sint sex homines; quorum tres constituent populum, illi autem tres cum quarto constituent populum, tertius populus sit ex omnibus sex. Inde sic: OMNIS POPULUS PRETER UNUM SUNT TRES HOMINES VEL QUATUOR. *Probat.* In illa positione³¹ dividi<ur> tertius populus contra duos. Et est communis ad eos. <... >³²

27. partes] partis V

28. videlicet] vel V

29. hominem] alium V

30. est] et V

31. illa] alia V

32. nonnulla excidisse videntur

IX DE HIIS DICTIONIBUS 'INCIPIT' ET 'DESINIT'

148 In unoquoque in quo contingit¹ reperire prius et posterius, in eodem contingit reperire primum² et ultimum. Quare in motu contingit reperire primum et ultimum. Sciendum ergo quod hoc verbum *incipit* significat primum in motu et hoc verbum *desinit* ultimum in motu. Sed primum in motu comparisonem habet ad ea respectu quorum est primum. Similiter ultimum in motu comparisonem habet ad ea respectu quorum est ultimum. Propter hoc ista verba *incipit*, *desinit*, finiuntur ab extra <et> ponuntur sincategorematicae.³

149 Cum ergo *incipere habere* aliquid sit *habere nunc et non prius*, *desinere* econverso,⁴ sciendum est quod

si accidit mutatio aliquorum que debent observari in argumentatione, accidit figura dictionis.

Ut posito quod Sortes sit albus hominum qui nunc sunt,⁵ et continue post hoc nascatur Plato, qui erit albus, patet quod non valet hec argumentatio: 'Sortes est albus hominum; et non erit etc.; ergo desit etc.', quoniam in prima propositione supponit tantum pro hominibus qui sunt, in assumptione vero supponit tantum pro hominibus qui sunt et qui non sunt. Similiter accidit posito quod Sortes sit <opulen>tissimus grammaticus eorum qui sunt et iam nascatur alius melior.

150 Ex hiis patet solutio huius sophismatis et similium. Posito quod Sortes sciat decem enuntiabilia sed obliviscatur unum⁶ illorum. Inde: SORTES SCIT DECEM ENUNTIABILA ET NON SCIT CONTINUE DECEM; ergo desinit scire decem. Patet per⁷ secundum [87va] *Elencorum*⁸ quod non sequitur: 'iste habuit decem digitos; et non habet decem; ergo amisit decem'. Cum tamen *desinere scire* sit amittere scientiam, non tenebit ista: 'scivit decem'; et decem non scit; ergo *desinit* etc. Et est fallacia figure dictionis. Similiter⁹ accidit in similibus.

1. contingit] contra V

2. primum et ultimum] prius et posterius V

3. sincategorematicae] sincategremata (!) V

4. econverso] econtrario V

5. sunt] nunc V

6. unum] unus V

7. per] V^c quod V

8. *Soph. El. 22, 178a29sqq.*

9. similiter] similia V

X DE DUABUS DITIONIBUS OFFICIALIBUS
IN EADEM LOCUTIONE INCIDENTIBUS

151 Item. Generalis distinctio est (que potest adaptari cuilibet paralogismo) quod

quandocumque incidunt due dictiones officiales in eadem locutione, accidit multiplicitas ex eo quod una potest includere reliquam vel includi.

Hoc autem idem est quod

aliquid potest iudicari secundum expositionem unius dictionis vel alterius; vel quod una dictio potest exponi vel altera.

152 Per hoc patet solutio huius sophismatis: SOLUM GENTIVUM PRECEDIT SOLUS NOMINATIVUS; SOLIUS BINARI PARS EST UNITAS ET NULLUS NUMERUS. Si iudicetur secundum expositionem exclusionis, vera est propositio. Sed secundum naturam copulationis, falsa est. Similiter¹ est hic:² SOLA ASSUMPTIO PRECEDIT SOLAM CONCLUSIONEM.

153 Ex hiis patet solutio huius sophismatis. Sit ita quod solus Sortes videat omnem hominem et iterum videat omnem hominem preter Platonem. <Inde sic: SORTES BIS VIDET OMNEM HOMINEM PRETER PLATONEM.> Patet quod si iudicetur locutio secundum expositionem del 'bis', propositio falsa est. Si secundum expositionem del 'preter', vera est.

154 Similiter patet in aliis. Ut cum dicitur: TU ES QUIDLIBET VEL ALIUD A QUOLIBET; TU ES OMNIS HOMO VEL DIFFERENS AB OMNI HOMINE; TU SCIS³ OMNE ENUNTIABILE VEL DIVERSUM AB ILLO. Potest enim iudicari secundum expositionem signi et sic propositio est vera vel coniunctionis,⁴ et sic propositio est falsa. Similiter in omnibus.

155 Obicitur autem in prima quid sit illud quod dicitur per nomen <'inclusionis'>, scilicet quid sit includere et includi. Includere enim proprie et per se est alicuius continentis localiter vel <...>⁵ sicut circumferentia claudit

1. similiter] similis V

2. hic] hoc V

3. scis] es V

4. coniunctionis] copulationis V

5. om. V

centrum. Sed neutro modo se potest⁶ habere dictio ad dictionem. Quare fit unius claudere et alterius claudi.

156 Dicimus autem ad hoc quod sicut est in aliis quod si aliquid claudat aliud in se: si illa sint eiusdem nature, necesse est ut illud quod claudit prius recipiat actionem quam illud quod clauditur, quare, ad proportionem, una dictio dicetur tunc altera <m> includere cum illa prius recipit actionem, scilicet vel divisionem vel expositionem etc.

157 Obicitur autem contra hoc quod prius⁷ dictum est quod⁸ debet rectum prius exponi quam obliquum. Videtur enim quod rectum semper debeat primo exponi. Ita enim dicit⁹ Priscianus quod omnis constructio incipit a recto. Sermones autem sunt signa intellectuum. Quare illud quod est primum in sermone, illud est primum signum. Hoc autem est primum constructibile. Quare primum constructibile primo significabit. Et ita rectum derelinquet aliquid primo in intellectu secundum rationem signi. Et ita est quod¹⁰ omnino prius componet vel dividet illud quod est sub rectitudine quam illud quod est sub obliquitate.

158 <Item>. In natura prius [87vb] est materia simplex¹¹ et quod ad modum eius est illo quod acquiritur supra materiam¹² illam. Quare in ratione primo oportebit¹³ illud preponere alii¹⁴ quod se habeat ad modum materie. Solum autem est illud ad modum materie quod est ad modum stantis per se. Illud autem non est obliquum sed tantum rectum. Quare cum in oratione¹⁵ proprie sit rectum in principio, iudicium prius erit de illo.

159 Dicimus autem ad hoc quod contingit iudicare in componendo et resolvendo et istud quod est in uno primum, in reliquo <est>¹⁶ postremum, quoniam quod primum erat¹⁷ in generatione, ultimum est in resolutione. Unde

6. potest] habet V

7. Vide supra, (78)

8. quod debet] idem V

9. Cf. *Inst. gramm.* XVII, 105

10. quod omnino] tunc omnia V

11. simplex ... eius est illo] simpliciter quam et motus et illud V

12. materiam] naturam V

13. oportebit illud] apparebit s. (= scilicet) V

14. alii quod] aliud quam V

15. oratione] ordine V

16. <est>] b om. V

17. erat] erit Vb

dicitur quod secundum viam generationis primo iudicium incipit a recto eoquod primum est in generatione, secundum propositiones protactas. Sed secundum viam resolutionis ab obliquo incipiet iudicium eoquod <quod> ultimum est in generatione, primum est in resolutione. Per hoc patet solutio ad obiecta.

160 Obicitur autem de hoc quod prius diximus¹⁸ quod cum dicimus TU ES OMNIS HOMO VEL DIFFERENS AD OMNI HOMINE, potest esse iudicium secundum expositionem signi vel eorum que sunt sub disiunctione.¹⁹ Similiter de coniunctione. Etenim dicit²⁰ Priscianus: "nulla pars orationis indifferenter se habet ad plura preter solam coniunctionem". Propter hoc coniunctio de suo esse et ratione est medium. <Medium> autem finitum non est sine appositione extremorum. Quare necesse est prius iudicare de extremis quam de medio.

161 Item. Cum dicitur: TU ES QUIDLIBET VEL ALIUD A QUOLIBET, [et] li quidlibet vel est extremum vel pars extremi. Quare prius habet iudicare de distributione quam de disiunctione. Similiter videtur de copulatione.

162 Item. Natura vinculi + in ratione tali non est preter non est incita + ut habemus in principio *Constructionum*.²¹ Et propter hoc ultimo docet de constructione ipsius. Quare prius videtur incipiendum ab extremis constructionis quam ab ipsa constructione.

163 Dicimus autem, sicut prius, quod possumus iudicare dupliciter, vel scilicet componendo vel resolvendo. Et uno modo constructio[nem] est prior, alio modo extrema constructionis. Sicut patet in precedentibus.

18. Vide supra, 154

19. disiunctione] coniunc. (I)V

20. Cf. *Inst. gramm.* XVII, 100.

21. ubi?

XI DE HAC DICTIONE 'TOTUS'

164 'Totum' secundum quod est totum dicit perfectum, pars autem est materiale ad totum. 'Totum' autem tripliciter accipitur. Uno modo totum idem <est> quod *perfectum*; secundum quod habetur¹ ab Aristotile, quod omne totum et perfectum idem. Alio modo dicitur totum *quelibet pars comprehensa a toto*, secundum quod est comprehensa in ipso. Tertio modo dicitur totum *comprehensum ex omnibus partibus*.

165 Ex hiis patet qualiter debet respondere ad huiusmodi: TOTUS² SORTES ET TOTUS² PLATO AUT SUNT HOMINES AUT NON-HOMINES: Similiter: UTRUM TOTUS² SORTES SIT SORTES. Si enim *totum* sit idem quod *perfectum* vel *comprehensum*³ ex omnibus *partibus*, verum est quod totus Sortes est Sortes. Si *totus Sortes* sit idem quod *quelibet pars Sortis*, propositio falsa est. Similiter dicendum est in similibus.

166 Ex hiis patet solutio huius <sophismatis>. Sit⁴ A totus Sortes, B totus Sortes preter pedem. Ex quo enim pars est materiale ad totum, iste differentie *animatum* et *sensibile* non sunt differentie sed accidentia.⁵ Quare non sunt in perfectione. Propterea⁶ hic [88ra] non est locus a diffinitione: 'B est substantia animata sensibilis; ergo B est animal'. Iste enim non sunt ibi differentie, ut ostensum est.

167 Per hoc patet quod non solvunt[ur] qui dicunt quod fallacia accidentis est in hac argumentatione: 'si A est animal, B est animal: sed B est pars A; ergo animal est pars animalis', quia supposito quod id quod est A sit animal, non accidit inconveniens.

1. *Phys.* III 6, 207a13-4

2. totus] V solus b

3. comprehensum] comprehendit V

4. sit] scit V

5. accidentia] activa (!) V

6. propterea hic] bis in V

TRACTATUS FLORIANUS

DE SOLUTIONIBUS SOPHISMATUM

ARGUMENTUM

Introductio

- I DE PROPOSITIONIBUS MODALIBUS
- II DE PROPOSITIONIBUS TRUNCATIS
- III DE SOPHISMATIBUS PER FIGURAM DITIONIS DISSOLVENDIS
- IV DE SOPHISMATIBUS PER FALLACIAM CONSEQUENTIS DISSOLVENDIS
- V DE SOPHISMATIBUS PER FALLACIAM ACCIDENTIS DISSOLVENDIS
- VI DE SOPHISMATIBUS PER FALLACIAM SECUNDUM QUID ET SIMPLICITER DISSOLVENDIS
- VII DE SOPHISMATIBUS EX ALIQUA MULTIPLICITATE PROCEDENTIBUS
 - 1 De multiplicitate incidente in terminis accidentalibus
 - 2 De multiplicitate incidente in propositionibus modalibus
 - 3 De multiplicitate incidente circa hoc verbum 'vult'
 - 4 De multiplicitate incidente circa hanc dictionem 'unum'
 - 5 De multiplicitate incidente circa dictiones exclusivas
 - 6 De multiplicitate circa hanc dictionem 'qui'
 - 7 De multiplicitate incidente circa dictiones relativas
- VIII DE DUOBUS SINCATEGOREMATIBUS IN EADEM LOCUTIONE POSITIS
- IX DE SOPHISMATIBUS CIRCA HANC DITIONEM 'NECESSARIO' INCIDENTIBUS
- X DE SOPHISMATIBUS CIRCA NEGATIONEM INCIDENTIBUS
- XI DE SOPHISMATIBUS CIRCA DUPLICEM DETERMINATIONEM INCIDENTIBUS
- XII DE SOPHISMATIBUS CIRCA HOC SIGNUM 'OMNIS' INCIDENTIBUS
- XIII DE SOPHISMATIBUS CIRCA DITIONES SPECIALES INCIDENTIBUS
 - 1 De dictione exceptiva
 - 2 De dictione exclusiva
 - 3 De hac coniunctione 'et'
 - 4 De hiis dictionibus 'equaliter' et 'inequaliter'

Legendum:

F = codex Florianus (Sankt Florian, XI 632, ff. 42-51)

F^c = manus quae correxit *F*

F^m = manus quae est in margine *F*

] = scripsi (scripsit)

< ... > = supplevi

[...] = seclusi

+ = locus sane corruptus vel perdifficilis lectu

DE SOLUTIONIBUS SOPHISMATUM

TRACTATUS FLORIANUS

DE SOLUTIONIBUS SOPHISMATUM

Introductio

1 Ut ait¹ Tullius in *Reticis* "cum omne expetendum propter se aut propter aliud vel propter utrumque expetatur", sophisticæ exercitationis argutias, - quas quidam <propter se, quidam> propter aliud, quidam (utpote sophiste) propter apparentem sapientiam auctumant appetendas et cum summo digito et quasi per indicem gesticulis tangendas² - opere pretium est in tractatu eorundem sollerti³ indagine precognosce, cum secundum Aristotilem in principio *Primo Philosophiæ*⁴ nemo ens in domo locum ianue debeat ignorare.

2 A levioribus ergo et communibus, quibus ignoratis ars ignoratur, inchoantes, simplices probationes planas consuetasque solutiones sophismatum subiuncturi,⁵ a modalibus incipimus.

1. Cicero, *Topica*, 89

2. tangendas] tangere F

3. sollerti] soleri F

4. Cf. Arist. *Metaph.* A1, 993b5

5. subiuncturi] subiuncturi (!)F

I DE PROPOSITIONIBUS MODALIBUS

3 Regula est quod

modus in modalibus propositionibus potest attribui totali dicto vel subiecto illius dicti.

Secundum quam possibilitatem propositio dicitur duplex, scilicet de re vel de dicto. Par hanc viam sequentia sophismata distinguuntur.

4 IMPOSSIBILE EST ALIUD QUAM ASINUM GENUISSE TE. *Probatio.* Alia res quam hec, scilicet quam *asinum genuisse* <te>, est <im>possibilis. Ergo prima <vera>, ex qua sequitur. *Contra.* IMPOSSIBILE etc. Sed aliud genuit te. Ergo <aliud quam> asinus genuit te.

5 *Solutio.* Prima est duplex. Primo secundum [quod] amphiboliam ex <eo quod> hoc quod dico 'aliud' potest construi cum hoc verbo 'est' vel cum hoc verbo 'genuisse'. Si cum hoc verbo 'est', sic probatur et est vera. Et est sensus: alia res quam hec,¹ scilicet *asinum genuisse te*, est impossibilis. Si cum hoc verbo 'genuisse', sic iterum est duplex ex eo quod potest esse de re vel de dicto. Si de re, tunc est vera. Tunc enim hoc quod est 'aliud' cadit extra hoc quod <est> 'impossibile' et ideo non ampliatur sed determinate tenetur. Et quia pro uno potest reddere locutionem veram, pro pluribus vera est locutio. Est enim sensus: aliquam aliam rem quam asinum genuisse te est <im>possibile. Si de dicto, tunc est falsa. Sic enim 'aliud' cadit sub hoc quod est 'impossibile' et ideo ampliatur ad subponendum pro omnibus eis que sunt alia ab asino. Est enim sensus: <impossibile est> quod aliqua <alia> res ab asino genuerit te, idest: nulla res alia ab asino poterat genuisse te.

6 IMPOSSIBILE EST TE SCIRE PLURA QUAM SCIS. *Probatio.* Hec propositio tu scis plura quam scis, est impossibilis.² Ergo et eius dictum, scilicet *te scire plura quam scis*, est impossibile. Ergo prima vera. *Contra.* IMPOSSIBILE EST etc. <Sed tu potes scire plura quam modo scis>. Ergo tu [non] potes scire plura quam scis.

7 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod iste modus '<im>possibile' potest attribui totali dicto, scilicet *te scire plura quam scis*. Et sic prima est de dicto. Et

1. hec] coll. cap. 3 hoc F

2. impossibilis] impossibile F

sic probatur et sic est verum. Et est sensus: hoc dictum *te scire plura quam scis* est impossibile. Hoc enim dictum non potest nec potuit nec poterit esse verum. Ergo est impossibile. Et sic probatur.³ Vel iste modus 'impossibile' potest attribui subiecto dicti, scilicet huic quod est 'te'. Et sic est falsa. Et est sensus: 'tu non habes potentiam modo ut in alio tempore scias plura quam scis modo'. Et sic improbat. *improbatur.*

8 Similiter solvitur hoc sophisma: IMPOSSIBILE EST ANTICHRISTUM ESSE HOMINEM, SI NON EST ANIMAL. *Probatio.* Hec propositio: 'Antichristus est homo, si non est animal' est impossibilis. Ergo eius dictum est impossibile. Ergo prima vera. *Contra.* IMPOSSIBILE EST *etc.* Sed Antichristus non est animal. Ergo Antichristum impossibile est esse hominem. Quod falsum est. Ergo prima falsa.

9 *Solutio.* Prima est duplex. Si sit de dicto, vera est. Et sic probatur. Et est sensus: hoc dictum *Antichristum esse hominem*⁴ si non est animal, est impossibile. Si sit de re, sic est falsa. Et sic <im>probatur. Et est sensus: si Antichristus modo non est animal, impossibile est eum alio tempore esse hominem.

10 Similiter solvitur hoc sophisma: POSSIBILE EST OMNEM HOMINEM DIFFERRE AB ANTICHRISTO. *Probatio.* Hec propositio est possibilis: 'omnis homo differt ab Antichristo'. Ergo et eius dictum. Ergo prima est vera. *Contra.* POSSIBILE *etc.* Sed Antichristum possibile <est> esse hominem. Ergo possibile est differre Antichristum ab Antichristo. Quod falsum est.

11 *Solutio.* Prima est duplex. Si sit de dicto, sic[ut] est vera; si de re, sic[ut] est falsa. Aliter tamen, <et> melius, potest dici, scilicet quod prima habet duplicem expositionem, sicut vult⁵ Aristotiles. Aut enim possunt sumi ea que sunt homines aut ea que possunt esse homines. Si primo modo accipiat, sic prima est vera et probatur.⁶ Et est sensus: hoc quod est homo potest differre ab Antichristo. Si secundo modo, sic falsa et improbat. Et est sensus: omne quod potest esse homo, potest differre ab Antichristo.

12 POSSIBILE EST OMNE ANIMAL ESSE OMNEM HOMINEM. *Probatio.* Possibile est <omne> aliud⁷ ab homine destrui. Ponatur ergo modo sic: hec

3. et sic probatur] sicut et eius probatio *F*

4. hominem] homo *F*

5. *Op. Soph. El. 4, 166a28-32.*

6. probatur] probata sic *saepius F*

7. aliud] aliquid *F*

propositio 'omne animal est homo' est possibilis. Ergo et eius dictum est possibile. Ergo prima. *Contra.* OMNE ANIMAL *etc.* Sed omnis asinus est animal. Ergo possibile est omnem asinum esse hominem.

13 [42rb] *Solutio.* De dicto vera, de re vero falsa est. De dicto: et est sensus: hoc dictum *omne animal esse hominem* est possibile <et> aliquando erit verum. De re: et est sensus: omne quod est modo animal potest esse homo. Et est falsa et sic improbat.

14 Similiter potest solvi hoc sophisma: IMPOSSIBILE EST ANTICHRISTUM ESSE HOMINEM QUI EST. *Probatio.* Hec propositio: 'Antichristus est homo qui est' est possibilis, quia aliquando erit vera. Ergo et eius dictum est possibile. Ergo prima. *Contra.* POSSIBILE EST *etc.* Sed homo qui est, non est nisi Sortes vel Plato <et sic de aliis modo existentibus>. Ergo possibile est Antichristum esse Sortem vel Platonem <etc.>.

15 *Solutio.* Prima est duplex. Si sit de dicto, sic est vera. Et est sensus: hoc dictum *Antichristum esse hominem qui est* possibile erit. Ideo aliquando verum. Si de re, sic est falsum. Et est sensus: hominem qui est modo, possibile est aliquando esse Antichristum. Et sic improbat.

16 Similiter solvitur hoc sophisma: NULLUM HOMINEM <ESSE> EST NECESSARIUM. *Probat*ur per singulares. *Contra.* NULLUM HOMINEM *etc.* Sed quicquid est necessarium, est verum. Ergo nullum hominem esse <est> verum.

17 *Solutio.* Prima est duplex: de re vel de dicto. De re vera et probata. De dicto falsa et improbat.⁸ Et est sensus: hoc dictum *nullum hominem esse* est necessarium.

8. improbat] improbat F

II PROPOSITIONIBUS TRUNCATIS

18 Sciendum quod

Plures propositiones truncate sunt que secundum quod diversimode perficiuntur, diversos habent sensus.

19 Secundum hoc solvitur hoc sophisma. Ponatur quod Sortes et Plato sint semper similes. Et sint modo albi, possunt tamen transmutari ex albedine in nigredinem. Inde sic: SORTES POTESSE ALTERIUSMODI QUAM SIT PLATO. *Probatio.* Plato est albus. Sortes potest esse niger. Ergo prima vera. *Contra.* SORTES etc. Ergo Sortes potest esse dissimilis Platoni. Quod est < contra > positum.

20 *Solutio.* Prima est truncata. Potest duobus modis perfici. Uno modo sic: 'Sortes potest esse alteriusmodi quam Plato sit modo'. Et sic est vera et sic probatur. Alio modo sic: 'Sortes potest esse alteriusmodi quam Plato possit esse'. Et sic est falsa et sic improbat.

21 Similiter potest solvi hoc sophisma. Ponatur quod Sortes emat cappam et emendo illam credat se decipi, et non decipiatur. Inde sic: SORTES DECIPIATUR NISI IPSE DECIPIATUR. *Probatio.* Sortes credit se decipi. Quod est falsum nisi ipse decipiatur. Et quicumque credit falsum, decipitur. Ergo etc. *Contra.* Ibi sequitur oppositum ad oppositum. Ergo locutio est falsa.

22 *Solutio.* Prima est falsa simpliciter. Ad probationem autem respondendum per fallaciam secundum quid et simpliciter. Sortes decipitur credendo nisi decipitur emendo. Ergo decipitur nisi decipiatur. Aliter potest dici, et melius, secundum quod prima est truncata. Et debet sic perfici: 'Sortes decipitur credendo nisi decipiatur emendo'. Et sic non sequitur ibi oppositum ad oppositum.

23 SORTES DESINIT SCIRE PLURA QUAM PLATO. Cuius positio talis est. Ponatur quod Sortes sciat quatuor enuntiabilia et desinat scire duo; Plato sciat sex et desinat scire unum. Sed plura sunt duo quam unum. Ergo prima vera. *Contra.* SORTES etc. Ergo Sortes scit plura quam Plato. Quod est contra positum.

24 *Solutio.* Prima est truncata. Et potest duobus < modis > perfici. Sic: 'Sortes desinit scire plura quam Plato sciat'; et sic est falsa et sic improbat. < Vel sic: 'Sortes desinit scire plura quam Plato desinat scire', et sic est vera et sic probatur >.

25 Similiter est hic: INFINITA SUNT FINITA. *Probatio.* Duo sunt finita, tria

sunt finita, et sic in infinitum. Ergo prima est vera. *Contra*. Ibi est oppositum de opposito. Ergo locutio falsa.

26 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod hoc quod dico 'infinitum' potest sumi ut res vel ut est modus sive signum. Si primo modo, falsa est, et sic improbat. Et est sensus: res infinite sunt finite. Si secundo modo, vera est et sic probatur. Et est sensus: quolibet [plura] sunt finita sed¹ non tot quin plura sint finita.

27 Aliter potest solvi dicendo quod prima est falsa simpliciter. Et sequitur: 'infinita sunt finita: ergo infinita sunt', sicut sequitur: 'homo est albus; ergo homo est'. Quodcumque enim terminus accidentalis predicatur de aliquo, relinquit esse simpliciter. Sed hoc quod dico 'finitum' est terminus accidentalis. Sequitur ergo: 'infinita sunt finita; ergo infinita sunt'.

28 Solvendum est ergo ad probationem per fallaciam consequentis. Hec enim est truncata: 'et sic in infinitum'. Et potest sic perfici: 'et sic est verum predicari in infinitum de rebus'. Et sic est falsa et sequitur conclusio. Vel sic: 'et sic[ut] contingit predicari finitum in infinitum de rebus'. Hec autem duas habet causas veritatis. Potest enim hec esse <vera> aut quia est <verum> finitum in infinitum predicari de rebus aut, licet non sit verum, potest tamen esse verum. Cum igitur alteram istarum causarum omittat et aliam inferat, [42va] facit fallaciam consequentis, sicut si, posito tantum tres homines esse et tantum duos illorum currere, sic argueret: 'Sortes currit, Plato currit et sic contingit cursum de tertio predicari: omnis homo currit'.

29 Aliter potest solvi dicendo² quod prima est falsa *secundum quid* et simpliciter. Procedit enim ab uno dicto *secundum quid* et alio simpliciter ad dictum *secundum quid*. Ibi enim predicatur simpliciter 'finita' de infinitis. Similiter cum dico: 'duo sunt finita', 'finita' predicatur simpliciter de duobus. Et similiter <tria> cum dicitur [tria] 'tria sunt finita'. Cum vero dicitur: 'et sic in infinitum', <'infinitum'> predicatur de rebus *secundum potentiam* solum et non *secundum actum*. Et ita predicatur solum *secundum quid*. Nam³ in potentia est solum *secundum quid*.

1. sed] sive F

2. dicendo] dicendum sic persaepe F

3. nam] et F

30 Similiter est hic:⁴ <SI EGO DICO FALSUM, T>U ES ASINUS. *Probatio.*
Aut res habet se aliter quam dico, aut non. Si sic, habeo propositum. Si aliter,
<sic ego dico falsum>. Sed si ego dico falsum, ergo se habet aliter a falso. Ergo
vere tu es asinus.

31 *Solutio.* Prima est falsa simpliciter. Ad probationem autem respondent
quidam distinguentes li⁵ <'res' in oratione>: 'aut res se habet aliter quam dico' in
dictione una que est: <'que' per ipsam orationem significatur⁶ et alia que est:
'actualis rerum existentia in mundo'.⁷ Si primo modo sumitur hec dictio 'res',
dicitur quod res non se habet aliter quam dico. Illa enim res est falsum, et ego
dico illam rem esse falsam. Si secundo modo, sic dico quod res se habet aliter
quam dico. Actualis enim existentia falsa est, ego autem dico illam se habere vere.

32 Sed quod hec solutio non solvit notetur. Si enim sumatur 'res' secundo
<modo>, tamen potest probari sicut prius. Propter hoc quidam solvunt aliter,
concede <ntes> hanc: 'res se habet aliter quam dico'. Ad hoc autem argumentum:

'res se habet aliter quam dico

sed ego dico eam falso

ergo se habet vere'

solvunt per fallaciam consequentis. Hec enim 'res se habet aliter quam dico'
habet triplicem causam veritatis:⁸ aut quia se habet vere et affirmative; aut vere
et negative; aut quia falso et negative. Cum igitur duas istarum causarum omittat
et tertium inferat, hanc scilicet: 'res se habet vere et affirmative', facit
consequens.

33 Aliter potest solvi, et melius, dicendo quod hec est truncata: 'res habet se
aliter quam dico'. Et sic habet perfici: 'res habet se aliter quam dico, eo modo
<scilicet> quam quo dico eam se habere'. Hec autem est duplex ex eo quod hec
dictio 'quo' potest determinare hoc verbum 'dico' vel hoc verbum 'habere'. Si hoc
verbum 'dico', sic est sensus: 'res habet alium modum quam sit iste quem ego

4. hic] hoc F

5. li] vel F

6. significatur] signatur F

7. mundo] termino F

8. veritatis] F glosa ego dico eam falso et affirmative; potest igitur aliter se
habere *perperam in textum irrepsit in F; quae glosa sine dubio addita erat ad*
facit consequens (in fine eiusdem capituli)

dico'. Hec autem est falsa. Modus enim rei falsus est (sive res se habet falso modo), ego vero dico eam habere verum modum (sive se habere vero modo).

34 Similiter minor est truncata,⁹ hec scilicet: 'ego dico eam falso'. Et debet sic perfici: 'ego dico eam se habere falso'. Hec autem est duplex ex eo quod hoc quod dico 'falso' potest determinare hoc verbum 'dico' vel hoc verbum 'habere'. Sed e converso¹⁰ quam prima. Est enim vera secundum quod hoc quod dico 'falso' determinat hoc verbum 'dico'. Et est sensus: 'ego sum falsus in dicendo eam esse'. Si determinet hoc verbum 'habere', sic est falsa. Est enim sensus:¹¹ 'ego dico rem falso se habere'.

9. truncata] vera F

10. e converso] e contrario F

11. est enim sensus] bis in F

III DE SOPHISMATIBUS PER FIGURAM DITIONIS DISSOLVENDIS

35 <Q> uamplurima sophismata secundum¹ fallaciam figure dictionis iudicantur² ex eo quod procedit <ur> de pluribus determinatis ad unam. De ipsis incipientes³ queramus de hoc sophismate; postea de aliis.

36 <P> onatur quod Sortes dicat *Deum esse*, Plato *hominem esse animal*, ambo sicut in communi proponant⁴ *Sortem esse asinum*. Inde sic: AB UTROQUE ISTORUM ENUNTIATUM EST VERUM. *Probatio*. A Sorte enuntiatum est verum. A Platone enuntiatum est verum. Ergo ab utroque istorum enuntiatum est verum. *Contra*. AB UTROQUE *etc.* Sed nichil est enuntiatum ab utroque nisi Sortem esse asinum. Ergo Sortem esse asinum verum est.

37 *Solutio*. Quidam dicunt quod prima est duplex ex eo quod hoc signum 'utroque' potest teneri collective vel divisive. Si collective, sic est falsa et sic improbat. Si divisive, sic est vera et sic probatur.

38 Alii solvunt aliter. Et dicunt quod prima est duplex ex eo quod potest iudicari penes subiectum propositionis vel penes subiectum enuntiationis. 'Subiectum vero propositionis' appellant subiectum illud <sub> quo sicut sub medio potest aliquid sumi. Hoc autem est in proposito hoc quod est 'utroque'. 'Subiectum vero enuntiationis' nomen rectum appellatur. Ex solo enim verbo finito et nomine recto componitur enuntiatio, sicut dicit⁵ Aristotiles. Si enim penes subiectum iudicetur propositionis, sic est vera et sic probatur. Si penes subiectum enuntiationis, sic est falsa et sic improbat.

39 Sed quoniam simpliciter eodem ambitu ordinatur hoc quod est 'enuntiatum' cum [42vb] hoc quod est 'utroque', sive preponatur sive postponatur et quando ei preponitur non confunditur (sicut conceditur), manifestum quod neque si ei preponatur confunditur. Manifestum ergo quod li⁶ 'enuntiatum' determinate tenetur. Ergo cum pro nullo possit reddere locutionem veram, manifestum est quod prima est falsa simpliciter. Dicendum est ergo aliter quod improbatio bene tenet,

1. secundum] sunt *F*

2. iudicantur] radatur (*l*) *F*

3. incipientes] subicientes (*l*) *F*

4. proponant] propositionum et *F*

5. Cf. *De interpret.* 2, 16a32-b5.

6. li] hoc *F*

probatio autem peccat secundum fallaciam figure dictionis a pluribus determinatis ad unam huius termini 'enuntiatum'. Hoc enim quod dico 'enuntiatum' in premissis tenetur <determinate> et in conclusione simpliciter.

40 Simile est hoc sophisma. <P>onatur quod quilibet homo habeat unum proprium asinum qui currat et omnes insimul habeant unum qui non currat et vocetur Brunellus. Inde sic: CUIUSLIBET HOMINIS ASINUS CURRIT. *Probatio.* Istius hominis asinus currit, et illius, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* CUIUSLIBET etc. Sed non est asinus cuiuslibet hominis nisi Brunellus. Ergo Brunellus currit.

41 *Solutio.* Dicendum quod prima est duplex⁷ sicut in priori⁸ eoquod potest iudicari penes subiectum propositionis (et sic est vera et sic probatur), vel potest iudicari penes subiectum⁹ enuntiationis; et sic est falsa et sic improbat.

42 Hoc autem potest improbari, ut in priori,¹⁰ dicendo quod prima est falsa et in probatione est fallacia figure dictionis a pluribus determinatis huius termini 'asinus' ad unam, quia in premissis tenetur determinate, in conclusione simpliciter.

43 Simile est hoc sophisma. <P>onatur quod sint tria videncia, quorum unumquodque videat se tantum. Inde sic: NICHIL¹¹ VIDENS EST ALIQUID VIDENS. *Probatio.* Non hoc videns est aliquid videns. Non illud videns est aliquid videns, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* NICHIL <VIDENS> EST etc. Ergo nichil videt.

44 *Solutio.* Dicendum eodem modo sicut et in prioribus¹² <quod> proceditur in probatione a pluribus determinatis ad unam huius termini 'videns'.

45 Simile est hoc. <P>onatur quod sint tria capita. Inde sic: NULLUM CAPUT HABENS EST ALIQUOD CAPUT HABENS. *Probatio.* Non hoc caput habens est aliquod caput habens; non illud, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* NULLUM etc. Ergo quod nullum caput habet, aliquod caput habet. Quod falsum est.

7. duplex] vera F

8. priori] primo F

9. subiectum] iudicium F

10. priori] prima F

11. nichil] iste F

12. prioribus] primis F

46 *Solutio*. Prima potest distingui, sicut in prioribus,¹³ et improbari sic et probari quod prima sit falsa simpliciter. Ideo dicendum quod in improbatione est fallacia figure dictionis a pluribus determinatis ad unam determinatam huius termini 'habens'.

47 Simile est hoc. <P>onatur quod sint tres homines et unusquibet videat se tantum. Inde sic: NULLUM HOMINEM VIDENS EST ALIQUEM HOMINEM VIDENS. *Probatio* et *improbatio* sicut prius. *Solutio* que prius: erat fallacie dictionis a pluribus determinatis ad unam huius termini 'videns'.

48 Simile est hoc sophisma: <S>IBI SOLI ALIQUID EST IDEM. *Probatio*. Sibi aliquid est idem. Non alii quam sibi aliquid est idem. Ergo prima vera. *Contra*. SIBI ALIQUID EST IDEM. Et alii quam sibi aliquid est idem. Non ergo sibi soli aliquid est idem.

49 *Solutio*. Prima est vera. Et in <im>probatione est fallacia figure dictionis a pluribus determinatis ad unam. Arguitur <enim> sic. Sibi aliquid est idem. Et alii quam sibi aliquid est idem. Ergo sibi et alii aliquid est idem. Non ergo sibi soli aliquid est idem. Hic autem est fallacia figure dictionis a pluribus determinatis ad unam. Iste enim¹⁴ terminus 'aliquid' in premissis tenetur determinate et in conclusione simpliciter.

50 <P>onatur quod quilibet videat se tantum. Inde sic: OMNEM HOMINEM VIDENS EST UNUM SOLUM HOMINEM VIDENS. *Probatio*. Istum hominem videns est unum solum hominem videns; illum, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra*. OMNEM HOMINEM VIDENS etc. Ergo qui videt unum solum hominem, videt omnem hominem.

51 *Solutio*. Prima est falsa. Et in probatione est fallacia figure dictionis a pluribus determinatis suppositionibus, sive communitatibus, ad unam huius termini 'homo'.¹⁵

52 Simile: <O>MNIS HOMO EST <ET> ILLE <EST> ALIQUIS HOMO. *Probatio*. Sortes est <et> ille <est> aliquis homo. Plato, et sic de singulis. Ergo prima vera. *Contra*. OMNIS HOMO etc. Sed omnis homo est. Et aliquis homo est. Ergo omnis homo est et aliquis est omnis homo. Quod falsum est.

13. prioribus] primis F

14. enim] tamen F

15. homo] qui F

53 *Solutio*. Prima est vera. Et in improbatione est fallacia figure dictionis. Arguitur enim ab immobili ac si esset mobilis. Hoc enim quod est 'aliquis' non distribuitur immobiliter ab hoc signo 'omnis' in hac: 'ille est aliquis homo'. Hec enim idem est [43ra] huic 'omnis homo est aliquis homo'. Sic[ut] ergo non sequitur: 'omnis homo est aliquis homo; ergo aliquis homo est omnis homo', immo est ibi fallacia figure dictionis.

54 Simile est hic: NEUTRUM OCULUM HABENDO TU POTES VIDERE. *Probatio et improbatio* sicut prius.

55 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod hoc quod dico 'neutrum' potest teneri collective; et sic est falsa et sic improbat; vel divisive, et sic est vera et sic probatur.

56 Aliter potest dici quia prima est falsa, et improbatio est fallacia figure dictionis a pluribus determinatis suppositionibus ad unum huius termini 'habendo'.

57 Aliter potest dici quia improbatio est fallacia consequentis ab inferiori ad superius negando. Plus enim ponitur per hanc 'neutrum etc.' quam per eius singulares. Per hanc enim ponitur quod tu possis videre non habendo hunc oculum nec alterum; in singularibus vero ponitur quod tu non possis videre <habendo> hunc oculum sed habendo alium.

58 Simile est hic: DEUS ERIT IN QUOLIBET INSTANTI NON EXISTENS. *Probatio*. Deus erit <in> a, non existens in b, in c, in d, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra*. DEUS ERIT <etc. Ergo> Deus erit in nullo instanti existens.

59 *Solutio*. Quidam dicunt quod prima est falsa, et in probatione est fallacia *secundum quid et simpliciter* ex obmissione determinationis.¹⁶ Cum enim dicitur: 'Deus erit in a, non existens in b', non predicatur 'non existens' simpliciter sed cum hac determinatione 'in b'. Similiter cum dicitur: 'Deus erit in c, non existens in d'; et similiter in qualibet singularum predicatur 'non existens' cum aliqua determinatione. In conclusione vero omittuntur¹⁷ omnes ille determinationes. Ex quarum obmissione fit fallacia *secundum quid et simpliciter*.

60 Aliter dicunt alii, scilicet quod in probatione est fallacia consequentis.

16. obmissione determinationis] obmitcione denunciationis (!)F

17. omittuntur] (!)F

Cum enim dicitur 'Deus erit'¹⁸ in quolibet instanti'¹⁹ hec <determinatio> 'non existens <in b>' a Deo removetur [existens in quolibet instanti]. Ad hoc ergo quod per eius singulares sufficienter probetur, oportet sic probare: 'Deus erit in a, non existens in b neque in c neque in d, et sic de singulis'. Cum omnes iste singulares omittantur preter unam, manifestum est quod fit fallacia consequentis ab insufficienti enumeratione partium.

61 Alii aliter solvunt dicentes quod prima est duplex eoquod hec determinatio: '<existens> in quolibet instanti' potest determinare hoc verbum 'erit'. Et sic est falsa. Est enim sensus: 'Deus erit in nullo instanti existens'; et sic improbat. Vel hoc participium 'existens', et sic est vera. Et est sensus: 'Deus erit, in alio instanti non existens'; et sic probatur.

62 Quod autem nulla istarum solutionum valeat, sic patet. Potest enim probari sic prima: Deus erit in a, non existens in b, non in c, et sic de singulis. Ergo <non est> *quid et simpliciter* neque *consequens*. Si vero distinguantur singulares ex eo quod hec determinatio 'in a' potest determinare hoc verbum 'erit' (et sic est falsa), et similiter quolibet singularium (et sic sequitur conclusio ex ipsis). Vel potest determinare hoc participium 'existens'; et sic sunt omnes singulares vere; et sic non sequitur prima ex illis.

63 Hec vero etiam²⁰ potest inferri mediate ex singularibus 'Deus erit in nullo instanti existens', sic: Deus erit non existens in b neque in c neque in d, et sic de singulis. Ergo Deus erit in nullo instanti existens. Manifestum est ergo quod per primam positionem arguitur sic: 'tantummodo Deus erit in a, non existens in b, non existens in c, et sic de singulis; ergo Deus erit in nullo instanti existens'. Hic autem, sicut manifeste apparet, fit processus a pluribus determinatis ad unam huius verbi 'erit'. Hoc enim quod dico 'erit' in qualibet singularium removetur determinate et in conclusione simpliciter.²¹ Non enim hoc quod dico 'erit' potest confundi ab hoc quod dico 'quolibet instanti'. Hoc enim quod dico 'erit' ponit aliquid nunc; hoc autem quod dico 'nullo' destruit omne tempus. Ergo est contrarium ei quod est 'erit'. Sed contrarium non disponit suum contrarium neque confundit ipsum. Ergo 'nullo instanti' non confundit 'erit'. Dicendum ergo quod

18. erit] est F

19. instanti] F ad hoc ergo quod per eius *perperam* add. F

20. etiam] est F

21. simpliciter] similiter F

prima est falsa simpliciter.²¹ Et in probatione est fallacia figure dictionis, sicut ostensum est.

64 Simile est sic: Ponatur quod tantum sint tres qualitates, scilicet gramatica, loyca, rethorica; et quatuor homines, scilicet Sortes, Plato, Cicero et Virgilius; Sortes habeat omnes qualitates et non currat; quilibet aliorum habeat tantum unam, et currat. Inde [43rb] sic: QUALISLIBET²² HOMO CURRIT. *Probatio.* Gramaticus homo currit, rethoricus homo currit, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* QUALISLIBET HOMO CURRIT. Sed non est qualislibet nisi Sortes. Ergo Sortes currit.

65 *Solutio.* Prima est falsa. In probatione est fallacia figure dictionis a pluribus determinatis ad unam huius termini 'qualislibet'. <'Qualislibet' enim> idem est quod 'habens qualitatem'. Idem est ergo ac si argueretur: 'habens gramaticam currit, habens rethoricam currit, et sic de tertio; ergo habens quamlibet qualitatem currit'. Hic autem proceditur a pluribus determinatis ad unam huius termini 'habens'. Et sequitur²³ improbatio.

66 Simile est hic: QUOTIENSCUMQUE FUISTI PARISIUS, FUISTI HOMO. *Probatio.* Probatur per singulares. Tu enim fuisti Parisius et fuisti homo pridie, et sic de singulis. Ergo prima vera. Vel sic potest probari: una vice fuisti Parisius et illa vice tu fuisti homo; alia vice fuisti Parisius, et illa fuisti homo; et sic de singulis. Ergo quotienscumque etc. <Contra. QUOTIENSCUMQUE etc.> Sed cum bis fuisti Parisius, bis fuisti homo.

67 *Solutio.* Prima est falsa. Et sequitur improbatio. Ad primam vero probationem dicendum quod ibi est fallacia figure dictionis ex commutatione unius speciei <quantitatis> in aliam, <scilicet> continue in discretam. Hoc enim quod dico 'quandocumque' quantitatem continuum significat, scilicet tempus, quod est quantitas continua. Hoc autem <quod> dico 'quotienscumque'²⁴ significat numerum, quod est quantitas discreta.

68 Ad secundam vero probationem respondendum est per interemptionem singularium. Hec enim copula<tiva> est falsa: 'una vice fuiste Parisius et illa vice fuisti homo', gratia secunde partis. Hec enim <est> falsa: 'una vice fuisti' ratione

22. qualislibet] quilibet sic semper F

23. sequitur] sic est F

24. <quod> dico quotienscumque] dico quod quandocumque F

implicationis, licet non ratione principalis attributionis. Implicat enim quod fueris²⁵ homo in vice; quod est impossibile.

69 Simile est hoc. Ponatur quod Sortes proferat: 'nullus homo est asinus', Plato vero audiat: 'homo est asinus'. Inde sic: QUICQUID AUDITUR A PLATONE, PROFERTUR A SORTE. *Probatio.* Quicquid audit Plato, profert Sortes. Ergo prima est vera. *Contra.* QUICQUID etc. Sed a Platone auditur falsum. Ergo a Sorte profertur falsum.

70 *Solutio.* Prima est vera. Et in <im>probatione est fallacia figure dictionis eoquod commutatur qualitas in substantiam. Hoc enim quod dico 'quicquid' distribuit[ur] pro substantiis tantum; hoc autem quod dico 'falsum' dicit qualitatem. Falsum enim et verum dicunt qualitates propositionis. Et ideo non sequitur argumentum improbationis.

71 Simile est hoc. <P>onatur quod Sortes sciat tria enuntiabilia et sciat se modo + habere illa desinendo sciat illa sed nesciat se scire. Inde sic: SORTES DESINIT SCIRE SE NICHIL DESINERE SCIRE. Ergo prima est vera. *Contra.* SORTES etc. Ergo Sortes scit se nichil desinere scire. Ergo quodcumque²⁶ scit est verum. Ergo nichil desinit scire. Ergo non desinit scire hoc enuntiabile 'se nichil desinere scire'.

72 *Solutio.* <... > Ergo prima est vera.

73 Ad improbationem autem solvendum per fallaciam figure dictionis. Concedende enim sunt omnes consequentie usque ad hanc: 'Sortes desinit nichil scire; ergo non desinit scire hoc enuntiabile, scilicet se nichil etc.'. In hac enim est fallacia figure dictionis. Mutatur enim substantia in qualitatem. Cum enim dicitur: 'Sortes nichil desinit scire ullatenus', <hec dictio 'enuntiabile'> supponit tantum pro tribus enuntiabilibus diversis scitis a Sorte. Et sic patet quod 'enuntiabile' significat substantiam. Illud vero enuntiabile 'se nichil desinere scire' non significat <substantiam> enuntiabilis vel substantiam enuntiabilium, sed modum enuntiabilium. Ipsius enim sensus est is: 'Sortes desinit scire se nichil de<sinere scire>', + 'Sortes desinit scire <se> nichil desinere scire' significat tantummodo modum scitorum enuntiabilium a Sorte sive modum secundum quem Sortes scit

25. fueris] fuerit F

26. quodcumque] quicumque F

enuntiabilia. Hoc enim quod permutabiliter²⁷ dico dicit modum quendam. Sicut ergo non sequitur: 'Sortes desinit scire aliquod istorum trium enuntiabilium; ergo non desinit scire modum secundum quem scit illa' (immo est ibi fallacia figure dictionis; commutatur enim substantia in qualitatem), sic non sequitur improbatio. 'Nichil' enim in prima distribuit tantum pro substantiis sive pro eis que per modum substantie se habent, sub quo sumitur illud enuntiabile quod est 'Sortem desinere scire se nichil desinere scire', quia, sicut ostensum est, non significat substantiam sed qualitatem. Et ideo non sequitur argumentum improbationis.

27. permutabiliter] (I)F

IV DE SOPHISMATIBUS

PER FALLACIAM CONSEQUENTIS DISSOLVENDIS

74 Consequenter de sophismatibus per fallaciam consequentis dissolvendis disserendum. Unde queritur de hoc sophismate: SORTES EST ALIUD ANIMAL A BRUNELLO. *Probatio.* Sortes est animal rationale, Brunellus [43va] irrationale. Ergo Sortes etc. *Contra.* SORTES est etc. Ergo Sortes est aliud animal rationale a Brunello, vel aliud irrationale. Si aliud rationale, ergo Brunellus est rationalis;¹ si irrationale, ergo Sortes est irrationalis. Sed hec² est falsa. Quare prima.

75 *Solutio.* Prima est vera. Et in improbatione est fallacia consequentis. Hoc enim quod est 'aliud'³ significat <quod> id ad quod refertur et illud pro quo supponit participant in aliqua forma communi et quod illa eadem sint diversa sub eadem forma communi homo. Unde huius: 'Sortes est alius homo a Platone' is est⁴ sensus: 'Sortes et Brunellus sunt animalia (sive conveniunt in *animali*[bus] et sunt diversa supposita sub *animali*'. Sunt enim diversa particularia. Similiter⁵ idem sensus est huius: 'Sortes est aliud animal irrationale a Brunello'. Sicut igitur non sequitur: 'Sortes et Brunellus sunt animalia et sunt diversa particularia sub *animali* subposita; ergo Sortes et Brunellus sunt rationales (sive conveniunt in *rationali*)' (immo est ibi fallacia consequentis a superiori ad inferius affirmando) sic[ut] non sequitur: 'Sortes est aliud animal a Brunello; ergo aut rationale aut irrationale'.

76 Simile est hic.⁶ OMNIS HOMO EST OMNIS HOMO. *Probatio.* Sortes est Sortes, Plato est Plato, Cicero est Cicero, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* Improbatio patet: Sortes est <homo: omnis homo est omnis> homo. Ergo Sortes est omnis homo. Quod falsum est.

77 *Solutio.* Prima est vera ex eo quod 'omnis' potest teneri collective vel divisive. Si collective, sic est vera et probatur. Si divisive, sic est falsa et improbat.

1. rationalis] *F* alius (!) est rationale *F*^c

2. hec] hoc *F*

3. aliud] aliquod *F*

4. est] enim *F*

5. similiter] simile *F*

6. hic] hoc saepius *F*

78 Aliter potest dici, et melius, quod prima est falsa et in improbatione est fallacia consequentis. Dum enim prima innuitur, ad hoc quod sufficienter probetur oportet quod predicatum in propositione de qualibet parte subiecti predicetur ratione *dici de omni*. Oportet igitur sic probari: Sortes est Sortes, Sortes est Plato, Sortes est Cicero, et sic de singulis; Plato est Cicero. Plato est Sortes et sic de singulis. Cum ergo ille singulares omittantur, fit fallacia consequentis ab insufficienti enumeratione partium. Quandocumque enim due distributiones ponuntur in aliqua locutione affirmative: ad hoc quod sufficienter probetur talis locutio oportet quod omnes partes distributionis probentur de qualibet parte alterius pro quacumque illarum probetur illa locutio.

79 NICHIL EST NICHIL. *Probatio*. Eius contradictoria est falsa, hec scilicet 'nichil est aliquid'. Ergo prima vera. *Contra*. NICHIL EST NICHIL. Ergo nichil nulla substantia est. Ergo quolibet aliqua⁷ substantia.

80 *Solutio*. Prima est vera. In <im>probatione vero est fallacia consequentis a superiori ad inferius affirmando. Quandocumque enim duo signa universalis negativa⁸ ponuntur in aliqua locutione, primum equipollet suo contrario, secundum⁹ vero suo contradictorio. Unde illa: 'nullus homo est nullus asinus' equipollet huic: 'omnis homo est aliquis asinus'. Prima ergo equipollet huic: 'quidlibet est aliquid';¹⁰ secunda vero huic: 'quidlibet est aliqua substantia'. Si <cut> ergo non sequitur: 'quidlibet est aliquid';¹¹ ergo quidlibet aliqua substantia est', sic non sequitur: 'nichil nichil est; ergo nichil nulla substantia est'.

81 Simile est hic. Sit ita quod Sortes dicat in *a* tantum omne enuntiabile verum; et sit oratio prima; iterum vero dicat omne enuntiabile falsum in *b*; et sit oratio nova. Inde sic: OMNE ENUNTIABILE DICITUR <A SORTE IN A VEL IN B. *Probatio*. Omne enuntiabile dicitur > a Sorte in *b*. Et omne enuntiabile est verum vel falsum. Ergo prima vera. *Contra*. Aliquod enuntiabile non dicitur a Sorte in *a* neque in *b*. Non ergo a Sorte dicitur omne enuntiabile in *a* vel in *b*.

82 *Probatio prime*. *A* non est quoddam enuntiabile. Hoc enim non dicitur a Sorte in *a*. Quare in *a* non dicitur a Sorte nisi enuntiabile verum. Hoc argumen-

7. aliqua] alia *F*

8. negativa] natura (*I*)*F*

9. secundum] subiectum (*I*)*F*

10. aliquid] aliud *F*

11. aliquid] aliud *F*

tum est verum enuntiabile in *a*. Item. Hoc enuntiabile non dicitur a Sorte in *b*, quia si dicitur a Sorte, tunc enuntiabile falsum. Hoc autem enuntiabile non est falsum, immo verum.

83 *Solutio*. Prima est falsa. Improbatio vero tenet. Probatio vero peccat secundum consequens ab inferiori ad superius cum distri[43vb]butione. Licet enim 'enuntiabile verum et enuntiabile falsum' convertatur¹² cum 'enuntiabili', non tamen 'enuntiabile verum in *a* et falsum in *b* convertitur¹³ cum 'enuntiabili'. Est enim quoddam enuntiabile quod non est falsum in *a* neque verum in *b*. Et sic 'enuntiabile verum in *a* et falsum in *b*' est inferius ad 'enuntiabile'. Ergo cum ab hoc procedatur ad enuntiabile cum distributione est fallacia consequentis.

84 Simile est hic. TU ES QUIDLIBET VEL DIFFERENS¹⁴ A QUOLIBET. *Probatio*. Tu es hoc vel differens¹⁵ ab illo. Tu es illud vel differens¹⁶ ab illo, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra*. TU ES etc. Sed tu non es quidlibet differens a quolibet.

85 *Solutio*. Prima est falsa. Et tenet improbatio. Probatio vero peccat secundum consequens. Cum enim una distributio proceditur in comparatione ad alteram: ad hoc quod prima sufficienter probetur oportet quod quelibet pars disiunctionis predictae probetur de subiecto in comparatione ad totam reliquam distributionem. Oportet ergo sic probare. Tu es hoc¹⁷ vel differens a quolibet; tu es illud vel differens a quolibet, et sic de singulis; ergo tu es quidlibet etc. Et sic bene tenet argumentum probationis, sed quelibet singularium est falsa. - Idem vero est hic, si loco eius quod est 'tu' ponatur 'quolibet', dicendo¹⁸ sic: QUILIBET EST QUIDLIBET VEL DIFFERENS A QUOLIBET.

86 Simile est hic: TOTUS SORTES EST MINOR SORTE. *Probatio*. Quelibet pars Sortis est minor Sorte. Ergo prima est vera. Probatio prime patet per singulares. *Contra*. TOTUS SORTES etc. Ergo Sortes est minor Sorte.

87 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod 'totum' potest teneri vel collective (et sic est prima falsa et improbata) vel divisive (et sic est vera et probata). Alio

12. convertatur] convertantur *F*

13. convertitur] convertuntur *F*

14. differens] indifferens (!)*F*

15. differens] indifferens (!)*F*

16. differens] indifferens *F*

17. hoc] hic *F*

18. dicendo] dicendum *F*

modo potest solvi dicendo quod prima est vera simpliciter, improbatio vero peccat secundum quid ex omissione huius determinationis 'totus'.

88 Aliter potest solvi, et melius, dicendo quod prima est falsa, probatio vero peccat secundum consequens ab insufficienti. Deberet tamen sic inferre: quelibet pars Sortis est minor Sorte; et Sortes est minor Sorte; ergo prima. Sic ergo est consequens ex omissione huius: 'Sortes <est> minor Sorte'.

89 Simile est hic. Ponatur quod omnis homo alius a Sorte vel Platone ferat lapidem divisim, Plato vero et Sortes ferant unum in communi. Inde sic: OMNIS HOMO PRETER ISTOS FERT LAPIDEM, et demonstre <n> tur per hoc pronomen 'istos' Sortes et Plato. *Probatio.* Hec est falsa. Et non est falsa nisi in Sorte et Platone. Et facta exceptione pro illis erit vera. Ergo hec est vera: 'omnis homo' etc.'. *Contra.* OMNIS HOMO etc., quia videtur sequi: 'si omnis homo fert lapidem hiis exceptis, <isti> non ferunt; ergo non ferunt lapidem'.

90 *Solutio.* Prima est vera simpliciter. Improbatio vero peccat secundum consequens. Hec <o> ratio 'omnis homo etc.' habet duplicem causam veritatis. Potest enim esse vera aut quia isti nullo modo ferunt lapidem, aut quia non ferunt lapidem divisive sed conjunctive. Non proceditur ergo a propositione habente plures causas veritatis ad unam.

91 Simile est hic. Ponatur quod sint¹⁹ quinque homines et quinque asini. Inde sic: TANTUM EA QUE NON SUNT HOMINES SUNT ANIMALIA. *Probatio.* Ista decem sunt animalia. Non ista decem sunt homines. <Ergo ista decem non sunt homines>. Ergo tantum etc. <Contra. TANTUM etc.> Sed ea que sunt non homines sunt quinque tantum. Ergo tantum quinque sunt animalia.

92 *Solutio.* Prima est falsa simpliciter. Aut enim 'ea' supponit pro omnibus. Et sic est falsa ratione implicationis. Tunc enim non esse homines attribuitur decem. Aut subponit tantum pro²⁰ quinque que non sunt homines. Et sic est falsa ratione implicationis dicti. In [im]probatione vero est fallacia consequentis a negatione preposita multitudini ad postpositam.²¹ Deberet enim sic probare: ista decem sunt animalia; ista decem non sunt homines. Sic²² bene sequeretur argumentum probationis. Sed hec est falsa: 'Ista [enim] decem non sunt homines'

19. sint] sicut F

20. tantum pro] terminus decem (!)F

21. postpositam] prepositam F

22. sic] solutio (!)F

+ Hec autem est falsa. Sequitur ergo: 'unumquodque istorum non est homo'. Quando enim multitudo precedit negationem, licet sumere omnes partes sub ipsa. Et sic sequitur: 'omnis homo non currit; ergo <hic homo> non currit. Precedit ergo sic: 'non ista quinque [44ra] sunt homines; ergo ista quinque non sunt homines'. Et sic consequens, sicut <hic> 'non omnis homo currit; ergo omnis homo non currit'.

93 Simile est hic. Ponatur quod Sortes videat Platonem contingenter, Cicero <nem> vero necessario; et demonstrentur per hoc nomen 'istos' Cicero et Plato. Inde sic: SORTES VIDET CONTINGENTER <ISTOS>. Probatio.²³ Sortes videt istos et potest non videre istos. Ergo prima vera. Contra. SORTES etc. Ergo Sortes videt utrumque istorum contingenter.

94 Solutio. Prima est falsa. Tenet improbatio. Probatio vero peccat secundum consequens. Non enim eodem modo exponitur terminus in plurali ut in singulari. Licet enim 'cecum' exponitur sic: *cecum est quod aptum natum est videre et non videt*, tamen 'ceca' <non> exponitur²⁴ sic: *ceca sunt que sunt apta nata videre et non vident*, sed sic: *ceca sunt apta nata videre quorum neutrum est videns*. Similiter 'videre istum contingenter' exponatur sic: *videt istum et potest non videre istum*. Tamen <'Sortem' videre contingenter> non sic exponitur: *Sortes videt istos et potest non videre istos*, sed sic: *videt istos et utrumque istorum potest non videre*. Et sic argumentum tene<re>t bene probationis, sed minor esset falsa. Arguitur igitur sic: 'Sortes potest non videre istos; ergo utrumque istorum potest non videre'. Hic²⁵ autem est fallacia²⁶ consequentis, sicut hic: '<non> omnis homo currit; ergo nullus homo currit'.

95 Simile²⁷ est hic. Ponatur quod quilibet homo habeat duos filios, unum diligat, alterum odio habeat. Inde sic: QUICUMQUE HABET FILIUM, DILIGIT ILLUM. Probatio. Iste homo habens filium diligit illum, et ille, et sic de singulis. Ergo prima est vera. Contra. QUICUMQUE etc. Ergo nullus homo habet filium quin diligat illum.

96 Solutio. Prima est vera et tenet probatio. Improbatio vero peccat

23. probatio] platonem (!)F

24. exponitur] exponitur F

25. hic] hec F

26. fallacia] falsa F

27. simile] similiter F

secundum consequens. Signum universale affirmativum confundit terminum²⁸ positum a parte predicatorum; signum vero negativum confundit mobiliter quicquid confundit. Secundum ergo has regulas hoc quod est 'filium' confunditur in prima exiliter, in conclusione vero vehementer. Non igitur sequitur argumentum improbationis, sicut non sequitur: (omnis homo est animal; ergo omnis homo est omne animal, immo est ibi fallacia consequentis.

97 [Alio modo potest solvi dicendo quod improbatio peccat per figuram dictionis, quia in hac: 'quicumque homo habet filium' 'filium' habet simplicem suppositionem; in hac conclusione autem: 'ergo nullus homo habet filium' habet personalem, quia tenetur personaliter pro quolibet filio. Unde fit commutatio modorum supponendi.]²⁹

98 Simile³⁰ est hic: OMNIS HOMO <EST> ET QUIDLIBET DIFFERENS AB ILLO EST NON HOMO. *Probatio.* Hec est copulativa. Cuius utraque pars est vera. Ergo ipsa est vera. *Contra.* OMNIS HOMO etc. Ergo Sortes est et quilibet differens ab illo <est non homo>. Ergo Plato est non homo.

99 *Solutio.* Prima est vera. Improbatio vero peccat secundum consequens ab inferiori ad superius cum distributione. Differens³¹ enim ab omni homine differt a Sorte et non convertitur. Ergo cum sit processus ab uno ad alterum mediante hoc signo 'quidlibet', fit fallacia consequentis.

100 Simile est hic. Ponatur quod sint tantum tres homines et tres asini et quilibet <hominum>³² videat se tantum et quilibet asinorum videat omnem hominem. Inde sic: <OMNIS HOMO VIDET SE TANTUM> ET QUILIBET VIDENS ILLUM EST ASINUS. *Probatio.* Hec est quedam copulativa. Cuius utraque pars est vera. Ergo ipsa tota est vera. *Contra.* OMNIS HOMO etc. Ergo Sortes, et quilibet videns illum est asinus. Sed Sortes est videns Sortem. Ergo Sortes est asinus.

101 *Solutio.* Prima est vera et tenet probatio. Improbatio vero peccat secundum consequens. Fit enim argumentum ab inferiori ad superius cum distributione. Hec enim 'est videns illum', idest videns omnem hominem, est inferius ad hoc quod dico '<videre> Sortem'. Quicquid enim videt omnem hominem, videt

28. terminum] unum F

29. [Alio modo potest solvi modorum supponendi] add F^m

30. simile] similiter sic saepius F

31. differens] differre F

32. hominum] F^c om. F

Sortem, et non econverso. Proceditur <autem> ab illo ad hoc quod est 'videns' cum hac distributione 'quidlibet'. Et sic fit consequens.

102 Vel potest dici quod fit fallacia figure dictionis a restricta ad ampliatam cum hac distributione 'quidlibet'. Hoc enim quod est 'videns' in prima supponit pro asinis tantum; in conclusione vero pro asinis et pro homine alio a Sorte. Et sic improbatur tota eius subposito.

103 Simile est hic: OMNIS HOMO EST ET SI ILLE EST SORTES TU ES CAPRA. *Probatio.* Hec est quedam copulativa. Cuius utraque pars est vera. Ergo ipsa tota est vera. *Contra.* Omnis homo etc. Ergo Sortes est Sortes et si ille est Sortes, tu es capra. Sed Sortes est Sortes. Ergo tu es capra.

104 *Solutio.* Prima est vera. *Probatio* bene tenet, improbatio vero peccat secundum consequens. Fit enim argumentum ab inferiori ad superius cum distributione. Sed³³ no tenet argumentum a consequente ad antecedens. Non enim sequitur: 'si homo est animal: ergo si animal est <risibile, homo est> risibile'.

105 Simile est hic: OMNIS FENIX EST. *Probatio.* Eius contradictoria est falsa, hec scilicet 'aliqua fenix non est'. Ergo hec est vera: 'omnis fenix est'. *Contra.* OMNIS FENIX EST. Ergo plures fenices sunt. Quod falsum est.

106 *Solutio.* Prima est vera. Improbatio vero peccat secundum consequens. Hec enim 'omnis fenix est' potest esse vera pluribus fenicibus existen[44r]tibus aut una tantum. Signum enim universale additum termino + sue significationis. Significatio vero huius quod est 'fenix aliqua³⁴ est', sive plures fenices sunt sive una tantum, habet plures causas veritatis. Hec autem 'plures fenices sunt' non habet nisi unicam. Proceditur <autem> a propositione habente plures causas veritatis ad unam. Et ideo fit consequens.

107 Aliter: hoc autem quod est 'fenix' non habet nisi unum suppositum. Et ideo prima est falsa. Sed hoc, sicut ostensum est, non est verum.

108 Simile est hic. IMPOSSIBILE POTEST ESSE³⁵ VERUM. *Probatio.* Quod est vel erit impossibile, potest esse verum. Ergo prima vera. *Probatio prime.* Hec enim est disiunctiva. Cuius altera pars potest esse vera. Ergo ipsa est vera. Hec enim pars est vera quod omne impossibile potest esse verum. Te enim non fuisse

33. sed] si F

34. aliqua] aliquid F

35. potest esse] est F

Rome postquam tu fueris erit impossibile quod potest esse verum, quia modo est falsum. *Contra.* IMPOSSIBILE *etc.* Ergo impossibile est possibile. Hec est falsa, cum in ipsa predicetur oppositum de opposito. Ergo prima, ex qua sequitur.

109 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est vera simpliciter, improbatio vero peccat secundum consequens ab ampliata ad restrictam. In prima enim ampliatur hoc quod est 'impossibile' ab hoc verbo 'potest', in conclusione vero non ampliatur. Sed hoc non est <verum>. Idem enim significat 'potest' et 'possibile'. Ergo si unum ampliatur, et reliquum, et si unum non ampliatur, nec reliquum.

110 Aliter dicunt quidam quod prima est falsa simpliciter et in probatione est fallacia figure dictionis. Cum enim dicitur quod omne impossibile potest esse verum, in hac attribuitur *posse* et *verum* huic quod est 'impossibile' gratia sue substantie sine forma³⁶, in conclusione vero attribuitur substantie cum forma; et commutatur subiectum in formam sive qualitatem. Ut hic: quicquid vidisti heri, hodie vides; album vidisti heri; ergo hodie vides'.

111 Sed nichil est. Sicut enim album <et> quod est album idem <sunt>, sic impossibile et quod est impossibile idem sunt. Sic <ut> ergo sequitur: 'quod est album potest esse nigrum';³⁷ ergo album potest esse nigrum;³⁸ sic sequitur 'quod erit impossibile potest esse verum; ergo impossibile potest esse verum'.

112 Aliter potest dici quod prima est falsa. Probatio vero peccat secundum consequens. Arguit enim sic: quod erit impossibile potest esse verum; ergo impossibile potest esse verum. Quod autem hic fit fallacia secundum consequens patet. In hac enim: 'quod erit impossibile potest esse verum', 'impossibile' apponit huic verbo 'erit'. Ergo supponit secundum exigentiam ad 'erit', secundum regulam appellationum. Sed 'erit' non fertur ad tempus de 'potest'. Nam 'erit' et 'potest' sunt opposita, cum oppositas habeant differentias temporis,³⁹ unum vero contrariorum non potest disponi a suo contrario. Ergo 'erit' copulat indifferenter pro tempore futuro. Ergo pro illo futuro quod est citra terminum potentie importatum per 'verum <esse>' potest', et pro illo futuro quod est ultra. Huiusmodi ergo: 'quod erit impossibile potest esse verum' sensus est: quod erat impossibile

36. sine forma] sive gratia forme F

37. nigrum] verum F

38. nigrum] verum F

39. temporis] ipsas F

prius, potest esse verum postea vel quod erit⁴⁰ impossibile postea, potest esse verum prius. Ergo quod erit impossibile potest esse verum prius vel potest esse verum postea. Sic non sequitur 'quod erit impossibile potest esse verum', immo est ibi fallacia consequentis.

113 Alii vero mediam viam retinentes dicunt quod prima est duplex ex eo quod 'impossibile' potest sumi pro impossibili per se vel per accidens. Primo modo falsa est prima, cum enim impossibile per se <sit illud> quod non potest nec potuit nec poterit esse verum, ut fuisse Rome postquam fueris Rome.

114 Simile est hic: DEUS SCIT QUICQUID <IPSE> SCIVIT. *Probatio.* Deus scivit omnia et nullius oblitus est horum que scivit. Ergo prima est vera. *Contra.* DEUS etc. Sic Deus scivit te fore nasciturum. Ergo tu es nasciturus.

115 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est vera simpliciter, in improbatione vero est fallacia figure dictionis. In prima enim predicatur de Deo absolute 'scire', idest non concernendo aliquas⁴¹ differentias temporis. Cum inferitur te fore nasciturum + scibile concernendo circa tantum <unam> differentiam temporis, scilicet futurum, sic mutatur *quid in quale*.

116 Alii autem dicunt quod prima est falsa, in probatione vero est fallacia consequentis ab insufficienti. Sic <ut> enim dicit Aristoteles,⁴² ad salvationem scientie tria exiguntur, videlicet mansio scibilis et scientis et unio scibilis cum sciente. Debet igitur sic probari: deus scivit omnia; et nichil oblitus est horum que scivit. Nec est inde hic facta permutatio, sed hec est falsa. Cum ergo hanc obmittat, facit fallaciam consequentis.

117 Alii vero mediam viam tenentes dicunt quod prima est duplex. [44va] Est enim duplex scientia in Deo: una qua scit Seipsum, alia inferiores res. <Si> significatio huius verbi 'scit' compleat⁴³ scientiam primo modo dictam, sic prima est vera. Est enim sensus 'Deus⁴⁴ etc.' quod Deus scit se. Si vero compleat <scientiam> secundo modo dictam, sic est fallacia. Est enim sensus: Deus scit omnes res quas scivit. Et sic est falsa.

40. erit] est F

41. aliquas] alias F

42. Aristoteles] ar. F an Averroes?

43. compleat] F complet F^c

44. deus] dicendum F

An. Pr. I,

118 Simile est hic. Ponatur quod tantum tres sint homines, quorum quilibet habeat duas qualitates quarum una <m> sciat se habere, reliquam vero non. Inde sic: QUODLIBET QUALELIBET SCIT SE ESSE TALE QUALE IPSUM EST. *Probatio*. Hoc aliquale scit se esse tale; illud etc., et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra*. QUODLIBET etc. Sed musicum est aliquale. Ergo musicum scit seipsum esse tale. Quod falsum est.

119 *Solutio*. Prima est vera. Improbatio vero peccat secundum consequens. Cum enim in hoc quod est 'aliquale' sint duo, scilicet subiectum et accidens sive qualitas, hoc quod est 'aliquale' non confunditur a signo 'quodlibet' secundum qualitatem sed⁴⁵ quantum ad substantiam. Unde prime sensus est: 'omne habens qualitatem scit se esse tale'. Ergo habens qualitatem, scilicet musicam, scit se esse tale. Immo est ibi fallacia consequentis in affirmando.

[120 Simile est hic. Ponatur quod sint quatuor homines et tres qualitates, et tres habent omnes qualitates et sciant se habere omnes illas; et unusquisque illorum trium sciat quemlibet illorum trium habere illas; quartus vero habeat unicam et noscat se habere illam. Inde sic: QUILIBET QUALISLIBET DE QUALI BET TALI SCIT IPSUM ESSE TALE. *Probatio* huius: 'quilibet de quali bet tali scit seipsum esse tale' ...]

121 *Solutio*. Prima est vera. Improbatio vero peccat secundum consequens. Prime enim sensus est: *quodlibet habens quamlibet qualitatem* etc. Sed non sequitur: 'quodlibet habens quamlibet qualitatem etc.; ergo quodlibet aliquale sive quodlibet habens quamlibet qualitatem etc., immo est ibi fallacia consequentis ab inferiori ad superius cum hac distributione 'quodlibet'.

122 Simile est hic. TU SCIS AN OMNIS HOMO SIT SORTES AN DIFFERAT AB ILLO. *Probatio*. Tu scis an Sortes sit Sortes an differat ab illo. Et <tu scis an Plato sit Sortes an differat ab illo et> sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra*. Tu scis etc. Ergo tu scis omnem hominem esse Sortem. Hec enim dictio 'an' posita sub copulatione disiungit inter ea que inveniuntur.

123 *Solutio*. Prima est falsa. In probatione vero est fallacia consequentis ab insufficienti enumeratione partium. Ad hoc enim quod prima sufficienter probetur oportet quod omnes partes utriusque distributionis predicentur de Sorte in comparatione ad quamlibet partem alterius distributionis. Oportet ergo sic probare:

45. sed] secundum F

tu scis an omnis homo sit Sortes an differat a <Sorte, Platone et> Cicerone, et sic de singulis. Vel sic: tu scis an Sortes sit Sortes an differat ab omni homine. Et sic bona esset probatio, sed quilibet singularium esseat falsa. Et sic cum in probatione omittantur multe singulares, fit fallacia consequentis ab insufficienti.

124 Ad hoc⁴⁶ sophisma dicendum quod cum habeat duas universales positas sub disiunctione,⁴⁷ ad hoc quod sit vera oportet quod altera universalis sit <vera>. Sed neutra universalis est vera. Nec enim omnis homo est Sortes nec omnis homo differt a Sorte. Et ideo nec hoc nec illud.

125 Ad probationem⁴⁸ respondendum per fallaciam consequentis. Ad hoc enim quod probetur per singulares, oportet accipere omnes singulares unius <et alterius> universalis⁴⁹ veras. Hoc autem non potest esse. Part<icular>es enim huius: 'omnis homo differt a Sorte' non possunt accipi omne<s> vere; nec alterius universalis similiter. Et ideo dico quod in probatione preceditur ab insufficienti. Posito enim quod tantum sint duo homines quando probat sic an Sortes sit Sortes an differat a Sorte, hec esset vera: 'Sortes est Sortes', et ita accipio⁵⁰ unam singularem <veram> prime universalis. Cum autem dico primo: 'tu scis an Plato sit Sortes an differat a Sorte', hec est vera pro hac parte 'Plato differt a Sorte'. Et sic accipio⁵⁰ unam particularem veram secunde disiunctionis. Cum autem postea accipio tertiam singularem sic: 'tu scis an Cicero sit Sortes an differat a Sorte', hec est vera pro hac parte 'Cicero differt a Sorte'. Et sic secunde universalis accipiuntur due vere particulares et pro⁵¹ uno tenetur. Et sic argumentum sufficit <en> <t> <er> probatur, cum quilibet debeat + habere non habere est singulares verum est. Ad hoc quod sit nichil +.

126 Alii vero dicunt quod prima est duplex ex eo quod potest iudicari per distributionem, et sic est vera et probata; vel per disiunctionem, et sic est falsa et improbata. Sed hoc nichil est. Secundum enim quod iudicatur per distributionem, fit fallacia consequentis ab insufficienti, sicut ostensum est prius.

46. ad hoc ... 125 Ad hoc quod sit nichil] *F^m om. F*

47. sub disiunctione] subdisiunctive *F^m*

48. probationem] propositionem *F^m*

49. universalis] vel *F^m*

50. accipio] accipiendo *F^m*

51. pro] primo *F^m*

127 Simile est hic. Ponatur quod Sortes mentiatu[r] vel Plato, et tu nescias <uter istorum. Inde sic>: TU SCIS AN DE MENTIENTE SIT FALSUM SORTEM ESSE ILLUM. *Probatio*. Referatur 'illum' ad mentientem. Tu scis de mentiente non esse falsum Sortem esse illum. Ergo tu scis *etc.* *Probatio prime*. Non possunt contingere nisi duo, vel⁵² videlicet quod Sortes mentiatu[r], vel Plato. Sed quocumque illorum contingente, tu scis de mentiente non esse falsum Sortem esse illum. Ergo tu scis simpliciter de <mentiente> non esse falsum Sortem esse illum. Quare tu scis de mentiente esse verum Sortem esse illum. Item. Contingente casu quod Plato mentiatu[r] tu scis de mentiente non esse falsum Sortem esse illum, quia tu scis mentientem non esse hoc enuntiabile 'Platonem esse illum'. Enuntiabile enim non est enuntiabile nisi de re subiecti⁵³ tantum. Quod vero non est enuntiabile de aliquo non est falsum neque verum de illo. *Contra*. TU SCIS *etc.* Ergo tu scis an de mentiente sit verum Sortem esse illum. Hec autem est falsa, quia neque scis esse verum neque scis esse falsum neque scis falsum.

[44vb] 128 *Solutio*. Dicendum quod prima est vera, improbatio vero peccat secundum consequens. Non enim valet argumentum ab uno contrario ad reliquum cum hac dictione 'an'. Hec enim 'tu scis an de mentiente sit falsum Sortem esse illum' equipollet istis duabus: '<tu scis> de mentiente non est falsum Sortem esse illum' et 'tu scis de mentiente esse falsum Sortem esse illum'. Similiter ista: 'tu scis an de mentiente sit verum Sortem esse illum' equipollet istis duabus: 'tu scis de mentiente esse verum Sortem esse illum' et 'tu scis de mentiente non esse verum'. Sed licet sequatur: 'tu scis de mentiente esse falsum *etc.*; ergo tu scis de mentiente non esse verum *etc.*', <non sequitur: 'tu scis an de mentiente sit falsum Sortem esse illum; ergo tu scis an de mentiente sit verum Sortem esse illum>, immo est ibi *consequens* ab insufficienti. Sicut hic: 'tu scis Cesare[m] non esse egrum; ergo tu scis de Cesare[m] esse sanum'. Deficit enim hec: 'tu scis Cesare[m] esse animal'. Sic et in prima.

129 Simile est hic. Ponatur quod sint tantum tres homines albi et Sortes sit de numero illorum et sit albi or illis; cras vero nascatur alius qui sit albi or Sorte. Inde sic: SORTES DESINIT ESSE ALBISSIMUS HOMINUM. *Probatio*. Sortes est albi ssimus hominum. Et de cras non erit albi ssimus hominum. Ergo prima est vera.

52. vel] talis F

53. subiecti] F^c subiecta F

Contra. SORTES *etc.* Aut ergo hominum qui sunt, aut hominum qui non sunt. Sed non hominum qui sunt, quia semper erit albissimus hominum qui sunt. Item non hominum qui erunt, quia numquam fuit albissimus hominum qui erunt. Ergo non desinit esse albissimus hominum.

130 *Solutio.* Prima est vera. In <im>probatione vero est fallacia consequentis. Iste tamen terminus 'hominum' supponit aut pro presentibus, preteritis aut futuris. Indifferenter enim iste terminus in se claudit intellectum presentis, preteriti aut futuri, ratione quorum terminus hic apponens supponit indifferenter pro presentibus et futuris.

131 Simile est hic: POSSIBILE EST SORTEM VIDERE <TANTUM> OMNEM HOMINEM NON VIDENTEM SE. *Probatio.* Possibile est Sortem videre omnem hominem cecum. Et omnis cecus est homo non videns se. Ergo prima vera est. *Contra.* POSSIBILE *etc.* Aut ergo Sortes videt se, aut non videt se. Sed videt se. *Contra.* Videt tantum omnem hominem non videntem se. Non ergo videt videntem se, si non videt se. *Contra.* Videt tantum hominem non videntem se. Ergo si non videt se, videt se.

132 *Solutio.* Prima est falsa. In probatione vero est *consequens* ab inferiori ad superius cum distributione. Hoc enim quod est 'cecum' inferius est ad hoc quod est 'non-videns'. Quicquid enim est cecum est non videns, et non e converso. Non ergo sequitur: 'possibile est Sortem videre omnem hominem cecum; ergo possibile est Sortem videre tantum cecum hominem non videntem se'.

133 Quod autem prima positio sit impossibilis sic apparet. Ponuntur impossibilia per ipsam positionem. Hec enim 'possibile est Sortem videre tantum omnem hominem non videntem se' equipollet duabus istis: 'possibile est Sortem videre omnem hominem non videntem se' et 'nullum hominem videntem se in tempore in quo Sortes videt hominem non videntem se, videt Sortes⁵⁴'. Sic ergo videret Sortes⁵⁵ non videntes se. Quod est impossibile respectu eiusdem temporis. In tempore ergo in quo Sortes videt omnem hominem non videntem se, videt se. Item, in tempore in quo Sortes videt nullum hominem videntem se, Sortes non videt se. Si enim tunc vide<re>t se: cum autem⁵⁶ non videret aliquem hominem

54. videt Sortes] videns se F

55. Sortes] se F

56. autem] a F^c om. F

videntem se, non vide<re>t se. Et ita videret se et non videret se. Quod est impossibile respectu eiusdem temporis.

134 Cum ergo hec: 'possibile <est> Sortem videre etc.' habeat de intellectu suo duas propositiones, ex quarum una sequitur Sortem videre se, ex reliqua vero non: sicut *Sortem videre se et non videre se* sunt <in>compossibilia respectu eiusdem temporis, sic et ille due propositiones ex quibus sequuntur ista duo impossibilia, erunt impossibiles respectu eiusdem temporis. Si ergo aliqua propositio ex illis duabus propositionibus componatur, manifestum est quod prima est impossibilis eoquod per ipsam ponuntur impossibilia. Manifestum est <ergo> quod ex impossibili componetur, cum [ergo] prima, ut ostensum est, ex impossibilibus componatur.

135 Simile est hic: TU TANTUM NON ES ASINUS. *Probatio.* Eius contradictoria est falsa, hec scilicet: 'tu tantum es asinus'. Ergo prima vera. *Contra.* TU TANTUM etc. Ergo tu et alius estis asinus.

136 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est duplex ex eo quod potest iudicari⁵⁷ per negationem, et sic vera est et probatur. Aliter potest [45ra] solvi, et melius, dicendo quod prima est vera simpliciter, in <im>probatione vero est fallacia consequentis a pluribus causis veritatis ad unam. Prima enim potest esse vera aut quia neque tu neque alius estis asinus, aut quia tu et alius estis asinus, aut non tu, sed alius.⁵⁸ Cum ergo alteram istarum inferat, facit fallaciam consequentis.

137 Simile est hic: SORTES EST ID PRETER QUOD NICHIL EST HOMO. *Probatio.* Sortes est homo. Preter hominem nichil est homo. Ergo prima vera. *Contra.* SORTES etc. Ergo preter Sortem nichil est homo.

138 *Solutio.* Prima est vera. Improbatio vero peccat secundum consequens a superiori ad inferius affirmando, scilicet ab hoc quod est 'hominem' ad 'Sortem'. Dictio enim exceptiva non confundit terminum designantem exceptum. Ergo hoc quod est 'homo' non confunditur. Ergo si ab ipso fiat processus ad 'Sortem', fit processus a superiori ad inferius affirmando.

139 Simile est hic. Ponatur quod Sortes sciat septem artes et nullus alius, Plato vero sciat quatuor et Cicero tres. Inde sic: SOLUS SORTES SCIT SEPTEM

57. iudicari] videri F

58. alius] asinus F

ARTES. *Probatio.* Sortes scit septem artes. Et nullus alius a Sorte scit septem artes. Ergo prima est vera. *Contra.* SOLUS SORTES etc. Non ergo Plato et Cicero sciunt septem. Quod falsum est.

140 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est vera, in <im>probatione vero est fallacia consequentis a duplici causa veritatis ad unam. Prima enim potest esse vera, quia nec <Plato> scit septem artes neque Cicero neque ambo in communi. Cum ergo altera istarum causarum obmittatur, fit *consequens*.

141 Vel potest dici quod hec duas habet causas veritatis: 'Cicero et Plato nesciunt septem artes'. <Potest enim esse vera> aut quia Plato per se nescit septem artes neque Cicero neque ambo. Et ideo si ulterius inferat <ur> altera istarum causarum, fiet fallacia consequentis ab insufficienti. Oportet enim sic probare: Sortes scit septem artes, Et nullus alius neque alii sciunt septem artes. Cum ergo hanc omittat, facit fallaciam consequentis.

142 Quod autem hec <non> omittatur et improbatio teneat, <patet> sic. Cum enim hec dictio 'solus' disponat subiectum in quantum est subiectum et excludit diversa⁵⁹ a subiecto, manifestum est quod non <excludit> diversum quodlibet a subiecto, sed diversum a subiecto in quantum est subiectum. Cum ergo Cicero⁶⁰ et Plato sint plura secundum se, comparata tamen ad hoc predicatum 'scire septem artes' sunt unum subiectum diversum ab eo subiecto quod est *Sortes*, manifestum est quod Cicero⁶² et Plato excluduntur per 'solus' additum ei quod est 'Sortes'. Sequitur ergo quolibet modo 'solus Sortes scit septem artes; non ergo Cicero et Plato sciunt septem artes'.

143 Simile est hic. Ponatur quod Sortes sciat quatuor enuntiabilia et desinat scire duo. Inde sic: SORTES DESINIT SCIRE QUICQUID IPSE SCIT. *Probatio.* Sortes scit quicquid ipse scit. Et de cetero non scit quicquid ipse scit. Ergo prima vera. *Contra.* SORTES etc. Ergo desinit scire quodlibet eorum que scit.

144 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est falsa simpliciter et in probatione est fallacia consequentis a negatione preposita ad postpositam, ut hic: 'non omnis homo currit; ergo omnis homo non currit'. Huius enim: 'Sortes desinit scire quicquid ipse scit' sensus est: Sortes scit quicquid ipse scit et quodlibet eorum que scit, non sciet. Sed non sequitur: 'Sortes non sciet quodlibet eorum que scit; ergo

59. diversa] divisiva F

60. cicero] Sortes F

quodlibet eorum que scit, non sciet'. Cum ergo sic arguat in probatione, facit fallaciam consequentis.

145 Aliter potest dici, et melius, quod 'incipit' et 'desinit' ratione negationum in ipsis intellectarum immobilitant distributiones sequentes. Et secundum hoc dicendum quod prima est vera, in improbatione vero est fallacia consequentis, sive fallacia figure dictionis; ab immobili enim distributione arguitur ac si esse <t> mobilis. Hec enim distributio 'quicquid' cum ipsa precedat hoc verbum 'desinit', immobilitatur. Ergo sub ipsa non licet facere descensum.

146 Simile est hic. Ponatur quod Sortes videat omnem hominem preter Platonem, modo incipiat videre Platonem. Inde sic: SORTES INCIPIT VIDERE OMNEM HOMINEM. *Probatio.* Sortes vidit <omnem hominem. Et prius non vidit> omnem hominem. Ergo prima [45rb] est vera. *Contra.* SORTES etc. Ergo incipit videre Ciceronem. Quod falsum est.

147 *Solutio* omnino eadem est que et in primo.

148 Simile est hic. Ponatur quod omne animal aliud⁶¹ ab homine destruat. Inde sic: OMNE ANIMAL INCIPIT ESSE HOMO. *Probatio.* Omne animal est homo. Non omne animal prius fuit homo. Ergo prima vera. *Contra.* OMNE ANIMAL etc. Sed Sortes est animal. Ergo Sortes incipit esse homo.

149 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est <duplex> ex eo quod potest esse distributio inceptionis (et sic est falsa et improbata), vel inceptio distributionis (et sic est vera et probata), vel inceptio distributionis (et sic vera et probatur). Sed hoc nichil est. Distributio enim cadit semper supra inceptionem, cum inceptio sit predicatum. Ergo distributio semper est formalis respectu inceptionis. Ergo semper iudicatur oratio per distributionem.

150 Propter hoc ergo dicendum est quod prima est falsa et sequitur improbatio, probatio vero peccat secundum consequens a negatione preposita ad distributionem⁶² postpositam. Arguit enim in probatione sicut <hic>: 'non omne animal fuit homo; ergo omne animal <non> fuit homo'.

151 Simile est hic. Ponatur quod Sortes sit albus et desinat esse albus et incipiat esse niger; Plato sit niger et incipiat esse albus. Inde sic: ISTA DESINUNT ESSE TALIA QUALIA <IPSA> SUNT. *Probatio.* Istud desinit esse tale

61. aliud] aliquid F

62. distributionem] distinctionem F

quale ipsum est. Et illud desinit esse tale: + tamen sunt plures. Ergo prima vera. *Contra.* ISTA *etc.* Sed ista sunt alba et nigra. Ergo ista desinunt esse alba et nigra. Quod falsum <est>. Vel sic potest <im>probari: ISTA DESINUNT *etc.* Sed predicatum 'esse talia qualia ipsa sunt' semper convenit eis. Ergo non <desinunt esse talia qualia ipsa sunt>.

152 *Solutio.* In hac vero ultima improbatione est fallacia figure dictionis. Cum enim dicitur sic: hoc predicatum 'esse talia qualia sunt <etc.>', hoc verbum 'sunt' copulat tempus futurum,⁶³ et ita hoc verbum 'sunt' copulat tempus confusum⁶⁴. Cum autem dicitur: 'ista desinunt esse talia qualia ipsa sunt', hoc verbum 'sunt' copulat tempus presens, et ita determinatum. Proceditur ergo a simplici suppositione ad personalem <respectu> huius verbi 'sunt'. Et ita fit fallacia figure dictionis.

153 Aliter potest solvi dicendo⁶⁵ quod prima est falsa, cum⁶⁶ in 'tale quale ipsum' ponatur tantummodo quod desinat esse quale ipsum est, <et non quale> alterum; similiter cum dicitur: 'id desinit esse tale quale ipsum est'. Cum autem dicitur ita: 'ista desinunt esse talia qualia ista sunt', ponitur quod utrumque desinat esse tale quale' ipsum est et quale alterum est.

154 Idem sophisma est hic, si ponatur quod utrumque istorum desinat esse tale quale ipsum est.

155 Simile est hic: DUO PATRES ET DUO FILII SUNT TRIA ET NON PLURA. *Probatio.* Duo patres et duo filii sunt tria et unum. Sed unum est non plura. Ergo prima est vera. *Contra.* DUO⁶⁷ *etc.* Sed duo patres et duo filii sunt quatuor. Ergo quatuor sunt tantum tria.

156 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod potest esse negatio pluralitatis vel pluralitas negationis. Si sit negatio pluralitatis, tunc est prima vera; et est sensus: quatuor sunt tria et unum,⁶⁸ quod non est plura. Et tunc non sequitur improbatio, immo est ibi fallacia consequentis a duplici causa veritatis ad unam. Hec enim habet plures causas veritatis: 'quatuor sunt tria et non plura'. Potest enim esse

63. futurum] confusum F

64. confusum] futurum F

65. dicendo] ideo F

66. cum] in F

67. duo] quatuor F

68. unum] sunt idem F

<vera> aut quia sunt tria tantum, aut <quia> sunt tria et unum, quod non est plura. Si vero sit pluralitas negationis, tunc est falsa prima. Tunc sequitur: 'quatuor sunt tria et non plura; ergo quatuor sunt tria tantum'.

157 Aliter potest dici quod prima est vera, in <im>probatione vero est fallacia consequentis a pluribus causis veritatis ad unam. Hec enim 'quatuor tria sunt et non plura' habet duas causas veritatis. Potest enim esse vera aut quia sunt tria tantum, aut quia sunt tria et unum, quod est non plura. Cum ergo altera⁶⁹ istarum causarum inferatur et reliqua omittatur, fit *consequens*.

158 Simile est hic. Ponatur quod sint tantum quatuor homines, Sortes, Plato, Cicero, Virgilius; et illi sciant quoddam enuntiabile in communi, Sortes sciat quoddam aliud. Inde sic: SOLUS SORTES SCIT QUOD ALIUS A PLATONE IGNORAT. *Probatio*. Sortes scit aliquid quod alius a Platone ignorat. Nullus alius a Sorte scit id quod alius a Platone ignorat. Ergo prima est vera. *Contra*. SOLUS *etc.* Ergo solus Sortes scit aliquid quod alius a Platone ignorat aut quod non quilibet alius [45va] a Platone <ignorat>. Sed Sortes est alius a Platone. Ergo solus Sortes scit aliquid quod Sortes ignorat. Sed⁷⁰ Sortes scit aliquid si solus Sortes scit quod non quilibet alius a Platone ignorat. Solus Sortes scit aliquid <quod> alius aliquis a Platone non ignorat. *Sed contra*. Virgilius scit aliquid quod alius aliquis a Platone non ignorat. Non ergo solus Sortes *etc.*

159 *Solutio*. Prima est vera. In improbatione vero est fallacia secundum plures interrogationes ut unam. Hec enim: 'solus Sortes *etc.*' equipollet duabus istis: 'Sortes scit aliquid quod alius a Platone ignorat' <et> 'nullus alius a Sorte scit aliquid quod alius a Platone ignorat'. Si vero queratur utrum⁷¹ Sortes sciat aliquid quod quilibet <alius> a Platone ignorat vel non quilibet, dicendum quod Sortes scit aliquid quod non quilibet alius a Platone ignorat. Si vero queratur utrum nullus <alius> a Sorte sciat aliquid quod quilibet alius a Platone ignoret vel non quilibet, dicendum est quod nullus alius a Sorte scit aliquid⁷² quod quilibet alius a Platone ignoret.

160 Aliter potest dici quod in probatione est fallacia consequentis a pluribus causis veritatis ad unam. Hec enim: 'solus Sortes *etc.*' habet triplicem causam

69. altera] reliqua F

70. sed] si F

71. utrum] quod F

72. aliquid] ad F

veritatis. Potest enim esse vera [aut quia non quilibet *etc.* aut quia quilibet] aut quia Sortes scit aliquid quod non quilibet alius a Platone ignorat, aut nullus alius a Sorte scit aliquid quod quilibet alius a Platone ignorat. Cum ergo duas istarum causarum inferat et reliquam omittat, facit fallaciam consequentis.

161 Simile est hic. Ponatur quod omnis homo ferat lapidem preter Sortem, qui ferat lignum; et omnis asinus ferat lignum preter Brunellum, qui ferat lapidem. Inde sic: OMNIS HOMO ET OMNIS ASINUS FERUNT LAPIDEM PRETER SORTEM ET BRUNELLUM. *Probatio.* Omnis homo et asinus ferunt lapidem et lignum. Hec est falsa. Et non est falsa nisi in Sorte et Brunello. Ergo, facta exceptione pro illis, erit vera. Ergo prima vera. *Contra.* OMNIS HOMO *etc.* Ergo Sortes et Brunellus non ferunt lapidem neque lignum. Ergo Sortes non fert lignum neque Brunellus lapidem.

162 *Solutio.* Prima est vera. In improbatione⁷³ vero est fallacia consequentis a pluribus causis veritatis ad unam. Hec enim: 'Sortes et Brunellus non ferunt lignum neque lapidem' habet plures causas veritatis. Potest enim esse vera aut quia non ferunt lapidem neque lignum, aut quia Sortes fert lapidem, Brunellus vero lignum, <aut quia Sortes fert lignum, Brunellus vero lapidem>. Cum ergo due istarum omittantur et reliqua inferatur, fit *consequens*.

163 Simile est hic. Ponatur quod Sortes sciat quatuor enuntiabilia, quorum duo sciat Plato, reliqua vero Cicero; Sortes vero sciat alia tria, quorum nullum sciat aliquis alius. Inde sic: PLURA SCIUNTUR A SORTE QUAM A SOLO SORTE. *Probatio.* Sortes scit quatuor enuntiabilia. Solus Sortes non scit nisi tantum tria. Ergo prima est vera. *Contra.* PLURA *etc.* Sed quicquid est solus Sortes, est Sortes. Ergo plura sciuntur a Sorte quam a Sorte. Quod falsum est.

164 *Solutio.* Prima est vera. In improbatione est fallacia consequentis. In <hac> enim 'plura sciuntur a Sorte quam a solo Sorte' fit comparatio non inter *Sortem* <et solum *Sortem*> sed inter scita. Est enim sensus eius talis: *scita a Sorte sunt plura quam <scita> a solo Sorte*. Sed non sequitur: 'scita a Sorte sunt plura quam scita a solo Sorte; ergo scita a Sorte sunt plura quam scita a Sorte'. *Scita enim a solo Sorte* est inferius <ad *scita a Sorte*>. Sequitur enim: 'quaecumque sunt scita a solo Sorte, sunt scita a Sorte', sed non e converso, quia ibi est processus ab inferiori ad superius cum hac dictione 'quam'. Sicut si ponatur

73. improbatione] *F*^c probatione *F*

quod Sortes videat sex lapides et duos homines et decem asinos et argumentetur sic: 'Sortes videt plures lapides quam homines; ergo videt plures lapides quam animalia'.

165 Simile est hic. Demonstrantur per hoc pronomen 'istorum' tres homines. Inde sic: ISTI TRES HOMINES PRETER QUEMLIBET ISTORUM SUNT DUO. *Probatio.* Isti tres preter istum sunt duo, isti *etc.* et sic de [45vb] tertio. Ergo prima vera. Sed ibi tot excipiuntur quot⁷⁴ supponuntur. Ergo locutio falsa.

166 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est falsa, in probatione vero est fallacia accidentis, quia aliquid attribuitur per partes toti; quod facit *accidens*; sicut hic: 'Sortes est individuum, Plato <etc.>, et sic de singulis; ergo omnis homo est individuum'.

167 Aliter potest solvi dicendo quod prima est falsa, in probatione vero est fallacia consequentis ab insufficienti. Prima enim equipollet huic: 'quidlibet est quidlibet'. Hec autem debet sic probari: Sortes est Sortes, Sortes est Cicero, Sortes est Virgilius, et sic de singulis; item Plato est Plato, Plato est Cicero; et sic de singulis. Cum ergo omnes iste singulares omittantur preter unam, fit fallacia consequentis ab insufficienti.

168 Solvitur iterum sic, prius dicendo quod prima est vera, in improbatione vero est fallacia consequentis ab insufficienti. Deficit enim hoc <membrum> 'et eodem modo'. Et tunc est <locutio> falsa, quia subponuntur coniunctim et excipiuntur divisim.

169 Simile est hic. Ponatur quod quilibet homo videat quemlibet alium hominem a se, aut non videat. Inde sic: QUOLIBET HOMINE EXCEPTO QUILIBET HOMO VIDET ALIUM. *Probatio.* Sorte excepto quilibet homo videt illum,⁷⁵ Platone excepto quilibet homo videt illum. Ergo prima est vera. *Contra.* Ibi tot excipiuntur quot supponuntur. Ergo locutio falsa.

170 *Solutio.* Prima est vera. In improbatione vero est fallacia consequentis ab insufficienti. Deficit enim hoc membrum 'et eodem modo'. <Et tunc est locutio falsa, quia> subponuntur coniunctim et excipiuntur divisim.

171 Simile est hic: OMNE ENUNTIABILE PRETER VERUM EST FALSUM. *Probatio.* Omne enuntiabile est falsum. Hec est falsa. Et non est alia <exceptio>

74. quot] quid sic semper F

75. illum] F ad sor [? pro idest sortem] add. F

nisi in veris. Ergo, facta exceptione pro illis, erit vera. Ergo prima est vera. *Contra.* OMNE etc. Ergo omne enuntiabile preter hoc verum erit falsum.⁷⁶

172 Prima est vera. Et in <im>probatione est fallacia figure dictionis a simplici suppositione ad personalem. Iste enim terminus 'verum' designans exceptum habet simplicem subpositionem. Fit autem descensus ac si haberet personalem.

173 Solvitur tamen melius dicendo quod prima est vera, in <im>probatione vero est fallacia consequentis a superiori ad inferius affirmando. Quod patet si exponuntur propositiones. Idem⁷⁷ enim est <omne> enuntiabile preter verum quod omne enuntiabile non verum et omne enuntiabile preter hoc verum quod <omne enuntiabile non hoc verum, non quod omne enuntiabile non hoc ++ istum. Sic⁷⁸ non sequitur: omne enuntiabile non verum est <falsum>; ergo omne enuntiabile non hoc verum est falsum. Et sic patet consequens.

174 Similiter est hic. A SOLO DEO SCITUR QUICQUID EST VERUM. *Probatio.*⁷⁹ <Non> ab alio <a Deo scitur quicquid est verum. Ergo a nullo alio> a Deo scitur quicquid est verum. Ergo prima est vera. *Contra.* A SOLO DEO etc. Sed quicquid est verum scitur a solo Deo. Ergo te esse hominem scitur a solo Deo. Quod falsum est.

175 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est vera, in <im>probatione vero est fallacia figure dictionis ab immobili distributione ac si esse<t> mobilis. Dictio enim exclusiva immobilitat dictiones sequentes virtute negationis que in ipsa intelligitur. Et ita hec dictio 'quicquid' immobilitatur ab hoc quod est 'solo'; et ita sub ipso non licet descendere.

176 *Solutio.* Solvitur autem⁸⁰ melius dicendo quod prima est falsa et in probatione est fallacia consequentis a negatione preposita ad postpositam, idest a pluribus causis veritatis ad unam. Arguitur enim sic: 'non ab alio a Deo scitur quicquid est verum; ergo a nullo alio a Deo scitur quicquid est verum. Hec autem⁸⁰ omittitur in prima' V

76. falsum] verum F

77. idem] illud F

78. sic] sed F

79. probatio] inde F

80. hec autem] hoc etiam F

177 <Similiter est hic>: A SOLO SORTE DIFFERT QUICQUID NON EST SORTES VEL PARS SORTIS. *Probatio.* <Non> ab alio a⁸¹ Sorte differt quicquid non est Sortes vel pars Sortis. Ergo prima est vera. *Contra.* A SOLO SORTE etc. Sed Plato non est Sortes neque pars Sortis. Ergo Plato differt a solo Sorte. Non ergo a Cicerone. Quod falsum est.

178 *Solutio.* Prima est vera. In <im>probatione⁸² est fallacia figure dictionis, ut quidam dicunt. Solvitur tamen melius dicendo quod prima est falsa⁸³, in probatione vero est fallacia consequentis a pluribus causis veritatis ad unam, sicut in primo.

179 Aliter potest dici quod prima est duplex ex eo quod potest iudicari penes exceptionem vel penes distributionem; quod idem est quod: potest fieri exceptio distributionis vel <distributio> exceptionis. Si primo modo, vera est et probata. Si secundo modo, falsa est et improbata.

180 Similiter est hic. Ponatur quod sint duo futura <instantia>; sint⁸⁴ *a* et *b*; in *a*⁸⁵ sint Sortes et Plato albi et Cicero <niger>, in *b* vero <sit Cicero> albus,⁸⁶ Sortes videat solum Platonem in *a* et Ciceronem in *b*. Inde sic: SORTES VIDEBIT ISTOS SIMILES. *Probatio.* Sortes videbit istos. Et [46ra] isti erunt similes. Ergo prima est vera. *Contra.* SORTES etc. Ergo Sortes videbit istos similes in *a* et in *b*.

181 Similiter est hic, retenta positione: SORTES VIDEBIT ALBA. *Probatio.* Sortes videbit Platonem et Ciceronem. Qui sunt albi. Ergo videbit alba. *Contra.* SORTES etc. Ergo videbit alba in *a* et in *b*.

182 *Solutio* horum sophismatum est eadem. Dicendum quod prime sunt vere et in <im>probatione est fallacia consequentis a pluribus causis veritatis ad unam. Hec enim: 'Sortes videbit alba' habet plures causas veritatis. Similiter et alia.

81. alio a] alio quam *F^c om. F*

82. improbatione] *F^c probatione F*

83. falsa] *F^c*

84. sint] sicut *F*

85. in a] tria *F*

86. albus] niger *F*

V DE SOPHISMATIBUS

PER FALLACIAM ACCIDENTIS DISSOLVENDIS

183 Notandum¹ quod per fallaciam accidentis potest solvi hoc sophisma. Demonstrantur per hoc pronomen 'istorum' Sortes et Plato; Plato moriatur, Sortes non. Inde sic: SORTES DESINIT ESSE ALTER ISTORUM. *Probatio*. Sortes est alter istorum. Et de cetero non est alter istorum. Ergo prima est vera. *Contra*. SORTES etc. Sed alter istorum est Sortes vel Plato. Ergo desinit esse Sortes vel Plato.

184 *Solutio*. Prima est vera. In improbatione² est fallacia accidentis. In prima enim attribuitur desitio Sorti respectu huius quod est *alterius*; in conclusione gratia subiecti. Et ita aliquid attribuitur accidenti et rei subiecte. Quare ibi est fallacia accidentis.

185 Ponatur quod Sortes sit et nascatur Plato. Inde sic: SORTES INCIPIT ESSE ALTER ISTORUM. *Probatio*. Sortes est alter istorum. Et ante hoc instans non fuit alter istorum. Ergo prima est vera. *Contra*. Quicumque est alter istorum est Sortes vel Plato. Ergo Sortes incipit esse Sortes vel Plato. Ergo prima non est vera.

186 *Solutio*. Prima est vera. In improbatione vero est fallacia accidentis ex eo quod inceptio attribuitur Sorti gratia alteritatis, postea gratia sue substantie.

187 Ponatur quod *A* sit totus Sortes, *B* Sortes preter pedem. Inde sic: <TOTUS HOMO NON EST PARS HOMINIS. *Probatio*>. [Ponatur quod *A* sit totus Sortes, *B* Sortes]. *A* est homo; *B* est homo. Sed *B* est pars *A*. Ergo est pars hominis.

188 *Solutio*. Prima est vera. Hec autem est falsa: 'homo est pars hominis'. In improbatione³ est fallacia accidentis. Non enim *B* est pars *A* inquantum homo sed inquantum corpus truncatur et contruncatur. Et quia attribuitur ei esse pars *A* aliter quam sit, fit fallacia accidentis.

189 SI TANTUM PATER EST, NON TANTUM PATER EST. *Probatio*. Si tantum pater est, pater est (locus est ab exclusiva preiacente). Et si pater est, filius est

1. notandum] Potandum (!)F

2. improbatione] F^c probatione F

3. improbatione] F^c probatione F

(locus a relative oppositis). Et si filius est, aliquid <aliud> a patre est (locus a parte subiectiva). Et si aliquid <aliud> a patre est, non tantum pater est (locus a convertibili). Ergo, a primo, si tantum pater est, non tantum pater est. *Contra*. Ibi sequitur oppositum ad oppositum. Ergo locutio falsa et improbatio bene patet.

190 *Solutio*. Quidam dicunt quod prima est vera. Ad improbationem respondent per interemptionem, dicendo quod non sequitur ibi oppositum ad suum oppositum, sed potius⁴ pars ad totum. Dicunt enim quod <hec> 'tantum pater est' est impossibilis eoquod per ipsam ponuntur duo impossibilia quorum utrumque sequitur ad ipsam. Per hanc enim: 'tantum pater est' ponitur pater, ex eo quod omnis dictio exclusiva veram relinquit suam preiacentem. Nam per hoc quod est⁵ 'pater' [est] ponitur filium esse; <relative> opposita enim posita *etc.* Per dictionem enim exclusivam excluditur diversum a patre. Et ita cum filius diversus sit a patre, excluditur per dictionem exclusivam et ponitur per hoc quod est 'pater'. Et ita implicat in se hec propositio impossibilia. Que si in ipsam sequantur, non est mirum si ipsa sit impossibilis.

191 *Solvitur* etiam⁶ dicendo quod prima est duplex ex eo quod potest esse exclusio ratione forme vel ratione materie. Si primo modo, vera est; et est sensus: si tantum pater sub paternitate est, filius est; et implicantur⁷ in antecedente duo impossibilia; quare conditionalis est vera. Si secundo modo, sensus est: si tantum id quod est pater est, filius <est>. Quod <est> falsum.

192 *Solvitur* tamen melius (quia simpliciter sequitur: 'id quod est album <est>; ergo album <est>', dicendo quod prima est falsa et in probatione est fallacia accidentis. Hoc enim quod est *patrem esse* diversificatur⁸ in comparatione ad extrema, que sunt hec: *filium esse* et *tantum patrem <esse>*. Hoc enim quod est *patrem esse* antecedit ad hoc quod est *filium esse*, cum suppositione⁹ huius quod est *aliud a patre* esse aliquid. Ad hanc autem que est *tantum patrem <esse>* sequitur sine suppositione alicuius. Et sic diversificatur medium in comparatione ad extrema. Quod facit fallaciam accidentis.

4. potius] ponitur F

5. hoc quod est] hanc que F

6. etiam] enim F

7. implicantur] replicantur F

8. diversificatur] F^c om. F

9. suppositione huius] supponit hoc F

193 SI NULLUM TEMPUS EST, ALIQUOD TEMPUS EST. *Probatio.* Si nullum tempus est, dies non est (locus a toto in quantitate). Et si dies non [46rb] est, nox [non] est (locus ab oppositis). Et si nox est, aliquod tempus est (locus a parte subiectiva). Ergo, a primo ad ultimum, si nullum tempus est, aliquod tempus est. *Contra.* Ibi sequitur oppositum ad oppositum. Ergo locutio falsa.

194 *Solutio.* Prima est falsa. In probatione est fallacia accidentis. Hoc enim quod est *diem non esse* diversificatur in comparatione ad extrema, que sunt *noctem esse*¹⁰ et *nullum tempus esse*. Antecedit enim ad hoc quod est *noctem esse* cum suppositione huius <quod est> *aliquod tempus esse*, ad hoc <autem> quod est *nullum tempus esse*, sine suppositione.

195 [Solvitur alio modo, et melius, dicendo quod prima potest esse falsa et prima consequentia tenet uno modo et alio modo non. <Nam> 'dies non est' est duplex ex eo quod potest esse negatio in genere vel extra genus. Si sit negatio in genere, tunc non sequitur prima consequentia. Est enim sensus 'dies non est' idest: tempus est, et illud non est dies. Et ita non sequitur exposito¹¹ antecedente, immo contrariatur ei. Si negatio sit extra genus, tunc nichil ponit 'dies non est', et sequitur 'si nullum tempus est, dies non est'; et improbatio bene tenet.]

196 Ponatur quod tantum tria animalia sint <hic>intus. Inde sic: QUICQUID EST HICINTUS EST ANIMAL. *Probatio et improbatio bene patent.*

197 *Solutio.* Prima est vera. Ad improbationem vero respondendum quod hec est falsa: 'caput Sortis est hicintus'.¹² Caput enim Sortis cum trun<catum sit>, non est; et ita non est hicintus.

198 *Solvitur* tamen melius dicendo quod prima est vera simpliciter et in improbatione¹³ est fallacia accidentis. Non enim recte sumitur sub medio. In hac enim: 'quicquid est hicintus est animal' fit distributio pro solis animalibus que habent esse per se et quorum unum ponit numerum cum altero. Cum arguitur, sumitur¹⁴ sub distributione hoc quod est *caput Sortis*, quod est tale quod non

10. esse] *F*^c non esse *F*

11. exposito] expositio *F*

12. est hicintus] hic est intus (?) *F*

13. improbatione] *F*^c probatione *F*

14. sumitur] sumatur *F*

habet esse per se nec ponit numerum cum Sorte nec recte sumitur sub medio. Quare ibi est *accidens*.

199 ALIQUA IN EO QUO <D> CONVENIUNT DIFFERUNT. *Probatio*. Aliqua in eo quo <d> conveniunt sunt <plura> in eo quo <d> sunt multa. In eo quod sunt multa, differunt. Ergo, a primo, etc. <Contra>. Ibi sequitur oppositum ad suum oppositum. Ergo locutio est falsa.

200 *Solutio*. Prima est duplex, ut quidam dicunt, ex eo quod hoc quod est 'in eo quod' potest dicere reduplicationem cause formalis vel cause materialis. Si primo modo, sic falsa et improbata; et est sensus: aliqua differunt in eo quo <d> conveniunt. Si secundo modo, sic vera et probata; et est sensus: aliqua in eo quod sunt, conveniunt, quia habent ex parte materie diversitatem.

201 Similiter alio modo dicendum est quod prima est falsa et in probatione est fallacia accidentis ex eo quod hoc medium diversificatur in comparatione ad hec duo extrema *esse plura* et *convenire*. Hoc enim medium 'quod sunt' sequitur ad hoc quod est *convenire* gratia rei significate, et non gratia alicuius modi significandi; antecedit vero ad hoc quod est 'esse plura' gratia modi significandi.

202 *Solvitur* autem ab aliis per interemptionem huius quod est 'aliqua in eo quod sunt, sunt plura', quia *esse Sortem* <equivocum> est ad *esse unum* et ad *esse plura*; ergo neutrum istorum insunt determinate.

203 *Solvunt* alii dicendo quod prima est falsa et in probatione est fallacia accidentis. Sicut vult Aristotiles in libro + *Predicamentorum*: reduplicatio semper ponenda est ad maiorem extremitatem; si ponitur ad minorem, facit fallaciam accidentis. Arguit enim sic: aliqua in eo quod sunt, sunt plura communia in eo quod sunt quam in eo quod sunt contraria; ergo in eo quod conveniunt, sunt plura. Hec enim quod est 'aliqua' est minor extremitas. Non ergo ad ipsam debet poni reduplicatio, sed ad maiorem extremitatem: aliqua in eo quod sunt sunt plura convenientia in eo quod conveniunt. Ergo convenientia sunt plura in eo quod sunt. Similiter fit argumentum sic: 'aliqua in eo quod sunt plura differunt; in eo quod conveniunt sunt plura; ergo in eo quod sunt, differunt. Et ita fit fallacia accidentis.

204 ALIQUA IN EO QUOD SUNT EQUIVOCA, SUNT UNIVOCA. *Probatio*. Aliqua in eo quod sunt equivoca, habent hoc nomen commune 'equivocum' et rationem eiusdem nominis. Et in eo quod habent commune hoc nomen et rationem eiusdem nominis, sunt univoca. Ergo a primo: aliqua in eo quod sunt equivoca,

sunt univoca. Ergo a primo: aliqua in eo quod sunt equivoca, sunt univoca. *Contra*: Ibi sequitur¹⁵ <oppositum ad suum> oppositum. Ergo locutio est falsa.

205 *Solutio*.¹⁶ Prima est falsa. In probatione vero est fallacia accidentis ex eo quod ponitur reduplicatio ad minorem extremitatem. Similiter est ibi fallacia secundum quid et simpliciter. Arguit enim sic: 'equivoca habent nomen commune 'equivocum'¹⁷ et rationem [46va] eiusdem; ergo sunt univoca'. Hic enim proceditur ab uno dicto secundum quid ad quid simpliciter. Sicut ergo non sequitur: 'fortuna est stabilis instabilitate sua; ergo est stabilis', <sic> non sequitur in¹⁸ prima.

206 Item. Alio modo potest solvi. Et potest facere duplicationem cause materialis et formalis.

207 SI TU ES UBIQUE, TU NON ES UBIQUE. *Probatio*. Si tu es ubique, tu es hic. Si tu es hic, tu non es ibi. Si tu non es ibi, tu non es ubique. Ergo, a primo, <si> tu es ubique, tu non es ubique. *Contra*. Ibi sequitur oppositum ad suum oppositum. Ergo locutio falsa.

208 *Solutio*.¹⁹ <Prima est falsa. Et> quidam solvunt sic ad probationem per interemptionem: 'si tu es hic, tu non es ibi'. Hec non potest habere veritatem nisi per locum ab oppositis. Habitudo enim illius loci destruitur si ponitur te esse ubique. Non ergo secundum locum illum poterit aliquid inferri. Si enim ponitur te esse ubique, ponitur te esse hic et ibi similiter.²⁰ Ergo si ponitur te esse ubique, non sequitur sic:²¹ 'tu es hic; ergo tu non es ibi'.

209 *Solvitur* alio modo dicendo quod prima est falsa et in probatione est fallacia accidentis. Hoc enim medium quod est 'te esse' diversificatur in comparatione ad extrema. Sequitur enim ad hoc extremum quod est 'te esse ubique' sine suppositione alterius antecedentis; ad hoc <autem> quod est 'te esse ibi' antecedit²² cum suppositione huius quod est 'te non esse ubique vel diversis locis'. Et sic est ibi *accidens*.

15. sequitur] ponitur *F*

16. solutio] ergo *F*

17. equivocum] equivoca *F*

18. in prima. Item] a parte. Ita *F*

19. solutio] sed *F*

20. similiter] simpliciter *F*

21. sic] ergo *F*

22. antecedit] cum *F*

210 SI TU SCIS TE ESSE LAPIDEM TU NESCIIS TE ESSE LAPIDEM.

Probatio. Si tu scis te esse lapidem, <tu es lapis>, et si tu es lapis, nichil scis. Si tu nichil scis, tu nescis te esse lapidem. Ergo prima est vera. *Contra.* Ibi sequitur oppositum ad oppositum. Ergo locutio est falsa et impossibilis.

211 *Solutio.* Quidam solvunt ad probationem interimendo hanc: '<si> tu es lapis, tu nichil scis', <quia> repugnat secunda prime, cum non possit *te esse lapidem* stare cum hoc quod est *scire*.

212 *Solvitur* aliter quod in probatione est fallacia accidentis ex eo quod hoc medium *te esse lapidem* diversificatur. Ad hanc enim extremitatem 'tu scis te esse lapidem' sequitur cum suppositione nullius; ad hoc <autem> quod est 'te nichil scire' antecedit cum suppositione huius: 'nullus lapis scit aliquid'.

213 QUANTO ALIQUID MAIUS EST, TANTO MINUS VIDETUR. *Probatio.* Quanto aliquid maius est, tanto a te minori videtur. Et quanto a te minori videtur, tanto minus videtur. Ergo prima est vera. *Contra.* Ibi sequitur oppositum ad oppositum. Ergo locutio est falsa.

214 *Solutio.* Prima est falsa. In probatione est fallacia accidentis. Quod patet si reducitur in syllogismum categoricum, hoc modo:

'omne visum a re minori minus videtur
maius est visum a re minori
ergo omne maius minus videtur.'

Medium enim huius syllogismi, quod est *visum a re minori* comparatur ad extrema ratione diversorum. Ideo sequitur *accidens*. Cum enim comparatur ad maiorem extremitatem, scilicet ad hoc quod est 'minus videtur', excludit spatium sive distantiam que est inter visum et videns. Et est sensus talis prime: omne visum a re minori minus videtur quam visum a propinquiori. Cum vero medium comparatur ad minorem extremitatem, excludit quantitatem rei sive minorem. Minoris enim sensus <est>: omne maius est visum a remotiori quam minus.

215 Quidam vero dicunt quod hec diversa comparatio facit ignorantiam elenchi.

216 Ponatur quod tu scias tria enuntiabilia et addiscas sex. Inde sic: QUANTO PLUS ADDISCIS, <TANTO MINUS SCIS>. *Probatio.* Quanto maiora sunt que tu addiscis, tanto minora sunt ea que tu scis. Ergo prima est vera. *Contra.* Ibi sequitur oppositum ad oppositum. Ergo locutio etc.

217 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod iste dictiones 'plus' et 'minus' possunt esse nomina vel adverbia. Si sint nomina, sic est vera et probata. Si adverbia, sic est falsa et improbata.

218 Notandum quod in hoc argumento est fallacia accidentis: QUANTO PLUS IGNORAS, TANTO MAGIS ADDISCIS. <*Probatio*. Quanto magis ignoras, tanto magis addiscis>. Quanto magis addiscis, tanto plus scis. Ergo, a primo, quanto magis ignoras, tanto magis scis. In hoc enim quod est 'addiscere' sunt duo. Addiscere enim uno modo via est ab ignorantia ad scientiam. Unde 'addiscere' dicit privationem ignorantie et motum in scientiam sive acquisitionem scientie.²³ Ratione enim unius istorum (ratione huius secundum quod dicit privationem ignorantie), ordinatur [46vb] ad hoc quod est ignorare. In ratione vero alterius (secundum quod dicit motum in scientiam), ordinatur ad hoc quod est scire. Similiter in consimilibus.

219 QUANTO PLUS ESURIS, TANTO PLUS SATIARIS. *Probatio*. Quanto plus esuris, tanto plus comedis. Quanto plus comedis, tanto plus satiariis. 'Comedere' enim dicit privationem esurie et motum in saturitatem. Ergo, a primo, quanto plus esuris, tanto plus satiariis. *Contra*. Hic sequitur oppositum etc.

220 *Solutio*. Prima est falsa et in probatione est fallacia accidentis.

VI DE SOPHISMATIBUS

PER FALLACIAM SECUNDUM QUID ET SIMPLICITER DISSOLVENDIS

221 Notandum quod per fallaciam secundum quid et simpliciter solvitur hoc sophisma. Ponatur quod omnis homo <alius> a Sorte excipitur ab aliquo actu. Inde sic: OMNIS HOMO PRETER SORTEM EXCIPITUR. *Probatio.* Preiacens est falsa. Ergo ipsa est vera. *Contra.* 'Sortes' est¹ terminus designans exceptum. Ergo excipitur. Ergo prima est falsa. Vel sic: Sortes excipitur per hanc dictionem 'preter' que immediate sibi adiungitur. Ergo Sortes excipitur.

222 *Solutio.* Prima est vera. In <im> probatione est fallacia secundum quid et simpliciter. Arguit enim sic: Sortes excipitur respectu huius predicati 'excipitur'. Ergo Sortes excipitur. Excipi enim respectu huius predicati 'excipitur' non est excipi simpliciter sed secundum quid. Et hoc patet sic. *Excipi* enim est *extra partem capi*. Qui ergo excipitur respectu huius predicati 'excipitur', non ponendus² est in eius predicatum, et si non ponendus²⁵ est <in> predicatum, non excipitur. Qui ergo excipitur respectu predicati 'excipitur', non excipitur simpliciter.

223 Potest autem aliter solvi. Et potest ad probationem responderi aut pro tempore positionis aut pro tempore sue prime enuntiationis sive pronuntiationis. Si ergo ad hanc: 'omnis homo preter Sortem excipitur', respondetur pro tempore sue positionis, vera est prima; pro tempore <enim> enuntiationis omnis homo alius a Sorte excipitur, Sortes non. Si vero respondetur ad ipsam pro tempore sue prime enuntiationis, falsa est prima; pro tempore enim enuntiationis omnis homo alius a Sorte excipitur; et hoc per primam. Item. Pro eodem tempore Sortes excipitur per dictionem exclusivam.

224 Talis respondendi modus *transumptio* appellatur. Ut patet in hoc exemplo. Hec enim enuntiatio TANTO <etc.> vera est pro tempore pronuntiationis, falsa pro tempore enuntiationis.

1. est] etc. F

2. ponendus] potentia (!)F

VII DE SOPHISMATIBUS EX MULTIPLICITATE ALIQUA PROCEDENTIBUS

VII,1 *De multiplicitate incidente in terminis accidentalibus*

225 Notandum est protanto quod

quandocumque terminus accidentalis supponit verbo preteriti temporis, talis terminus supponit indifferenter pro presentibus et preterit<is>, apponens tantum pro preteritis.

Ratio autem huius regule est hec: quia non supponit verbo ratione cuiuslibet forme, sed tantummodo ratione forme substantialis. Forma enim substantialis causa est quare actus sit in substantia, et non forma accidentalis. Unde dicit¹ Aristotiles quod hec est per se 'homo currit', hec autem est per accidens: 'album currit'. Et non obiciat de ista:² 'album disgregativum <visus est>', quia licet forma significata per hoc quod est 'album' sit accidentalis, tamen respectu huius actus qui est disgregare, est essentialis. Cum ergo terminus subponens verbo preteriti temporis vel futuri non supponat illi secundum exigentiam illius quod est <quantum> ad formam accidentalem, manifestum est quod quantum ad formam essentialem poterit supponere pro alio tempore quam sit illud quod consignificat verbum cui supponit.

226 Et secundum hanc regulam solvitur hoc sophisma: ALBUM FUT DISPUTATURUM. Cuius positio talis est. Ponatur quod Sortes sit et fuerit albus in preterito, sed neque modo disputet neque prius disputaverit; disputabit in futuro. Inde sic: ALBUM FUT DISPUTATURUM. *Probatio*. Id quod est album vel fuit album, fuit disputaturum. Ergo prima vera. *Contra*. ALBUM FUT DISPUTATURUM. Ergo album disputat vel disputabat. Sed utraque istarum est falsa. Ergo prima, ex qua sequitur.

227 Quod autem improbatio teneat hic videtur. Cum enim dicitur: 'album fuit <disputaturum>', hic ponitur hoc verbum 'est' tertium adiacens. Ergo predicat non quod est in se, sed quod est in altero. Ergo ex re huius verbi 'fuit' et huius participii 'disputaturum' fit unus actus. Sed actum³ unum sequitur tempus unum

1. ubi?

2. cf. *Topica* III 5, 119a30-31.

3. actum unum] actus unus F

eoquod tempus est mensura motus⁴ <et> mensura et significatum [47ra] adequantur per hoc quod dicitur 'disputaturum'. Unde solum importatur. Ergo cum subiectum a tempore consignificato per predicatum modum supponendi sortiatur, manifestum est quod terminus supponens huic predicato quod est 'fuit disputaturum', pro uno tempore supponet. Sequitur ergo <de> necessitate: 'album fuit disputaturum; ergo disputat et disputavit et disputabit'.

228 *Solutio*. Dicendum quod prima est vera simpliciter et probatio bene tenet et in improbatione est fallacia consequentis eoquod proceditur a⁵ propositione habente plures causas veritatis ad habentem pauciores. Hec enim 'album fuit etc.' habet novem causas veritatis, quarum sex inferuntur, tres vero omittuntur. Inter quas illa omittitur pro qua habet veritatem.

229 Quod autem prima habeat novem causas veritates, sic patet. Omnis actus est cum sua presentialitate et ante sui⁶ preteritionem et post sui futurationem. + Post enim est futurum quam sit hec corruptio uno eorum que sunt communicantur. + Corrupto uno in tempore necesse est corrumpi et reliquum. Cum igitur omnis actus et sua presentialitas sese comitentur in tempore, necesse est quod si presentialitas temporis transierit, et actus similiter pertransierit. Sequitur ergo necessario: 'fuit amans; ergo amatio est preterita'. Sed actus est post sui preteritionem, <que> precedit⁷ tempus sue actionis. Huius actionem precedit terminus ipsius. Terminus vero initialis cuiuslibet actionis future precedit secundum tempus actionem. Ergo cum per hoc quod dico 'disputaturum' importetur actio, manifestum est quod huiusmodi actio sequitur terminum initialem.

230 Potest autem sequi illum in tribus temporibus secundum quod⁸ huiusmodi tempus potest precedere suam actionem tripliciter. Aut⁹ enim potest precedere in tempore presenti, preterito aut futuro. Patet ergo manifeste quod per hoc quod dico 'fuit disputaturum' tria tempora importantur. Potest enim hec esse vera: 'Sortes fuit disputaturus', aut quod disputat aut quod disputavit aut disputabit. Ergo cum terminus supponens tali predicato ab ipso modum supponendi sortiatur,

4. cf. Arist. *Physica* IV 11, 219b1 et alibi.

5. a] ad (!)F

6. sui preteritionem] suum preteritum F

7. precedit ipsius] F^c om. F

8. secundum quod] sed F

9. aut] autem F

manifestum est quod terminus supponens tali predicato pro tribus temporibus supponet.

231 Et sic sex cause <veritatis> poterunt computari. Aut⁹ enim sumpto supponente pro presentibus tantum reddetur predicatum pro qualibet sui parte,¹⁰ ut sit sensus: *quod est album disputat, aut disputavit aut disputabit*; et sic habent <ur> tres cause veritatis, scilicet: quod erit album aut disputat aut disputavit aut disputabit; quarum quolibet est falsa. Aut subiecto supponente¹¹ pro preteritis tantum reddetur predicatum pro qualibet sui parte, ut <sit> sensus: *quod fuit album disputat aut disputavit aut disputabit*. Pro unica autem istarum trium causarum prima vera est, pro hac scilicet: quod fuit album, disputabit. Cum igitur hec cum duabus aliis in improbatione¹² omittatur, manifestum est quod fit *consequens*.

232 Per ea que dicta sunt patet solutio ad ea que solent queri circa hoc sophisma, scilicet quod participium futuri¹³ temporis iunctum verbo preteriti temporis trahitur ad naturam ipsius preteriti. <Hoc est falsum.> Non enim sequitur: 'fuit amaturus; ergo amavit'.

233 Ad argumentum autem per quod probatur improbationem valere dicendum quod ex actu huius verbi 'fuit' et huius participii 'disputaturum' fit unum, sicut contingit fieri unum ex termino et¹⁴ terminato. Actus enim significatus per hoc verbum 'fuit' est terminus actus significati¹⁵ per hoc participium 'disputaturum'

234 Item. Actum unum¹⁶ sequitur tempus unum. Sed¹⁷ unum quod fit ex termino et terminato, non est tempus unum simplex consequens actum huius verbi 'est' et actum¹⁸ temporis consignificati per hoc participium 'disputaturum'. Sic patet quod non oportet terminum supponentem huic predicato¹⁹ 'fuit disputaturum' supponere pro uno tempore tantum.

235 Regula est quod

10. parte] causa F

11. supponente] F^c

12. improbatione] F^c probatione F

13. futuri] presentis F

14. et] vel F

15. significati] significatus F

16. unum] istum F

17. sed] sicut F

18. et actum] terminus F

19. predicato] preterito F

terminus communis accidentalis supponens verbo de futuro supponit indifferenter pro presentibus et futuris, apponens vero pro futuris tantum.

236 Secundum hanc regulam solvitur hoc sophisma MAIOR MAIORE MARCO ERIT MARCUS. Cuius positio talis est. Ponatur quod Sortes modo sit maior Marco, cras vero sit econverso. Inde sic: MAIOR MAIORE MARCO ERIT MARCUS. *Probatio*. Qui est modo maior erit minor, <et qui est modo minor erit maior>. Ergo MAIOR etc. *Contra*. Marcus erit maior maiore Marco. [et] Sed quicquid est maius maiore²⁰ est maius minore. [477b] Sed Marcus est maior maiore <et maior minore>. Ergo Marcus erit maior seipso. Quod est inconveniens.

237 *Solutio*. Prima est vera simpliciter. In improbatione²¹ vero est fallacia consequentis. In prima enim secundum predictam regulam iste terminus 'maior' habet duplicem causam veritatis. Supponit enim indifferenter pro presentibus vel futuris, reddit tamen locutionem veram pro presentibus. In conclusionem vero tantum pro futuris, cum apponat verbo²² futuri temporis. Proceditur autem a propositione habente duas causas veritatis ad unam. Et sic patet fallacia consequentis.

238 Item. <Procedit> primum argumentum ac si argueret sic ac si dicatur: Marcus erit maior eo qui est maior vel qui erit maior; ergo Marcus erit maior eo; ergo Marcus erit maior eo qui est vel qui erit maior.

VII.2 De multiplicitate incidente in propositionibus modalibus

239 Notandum quod

omnis propositio modalis duplex est ex²³ eo quod modus potest attribui totali dicto vel subiecto illius dicti. Secundum quod modus attribuitur totali <dicto>, illa propositio dicitur esse de dicto. Secundum vero quod attribuitur subiecto ipsius dicti, <dicitur> esse de re.

Subiectum enim dicti appellatur *res* in hoc loco secundum hanc regulam.

20. maiore est maius] minore et minus *F*

21. improbatione] *F*^c probatione *F*

22. verbo] verba *F*

23. ex] cum *F*

VII.3 De multiplicitate incidente circa hoc verbum 'vult'

240 <N>ota quod non valet argumentum ab antecedente ad consequens cum hoc verbo 'vult'. Secundum hoc solvitur hoc sophisma. Ponatur quod Sortes habeat dextrum oculum egrum, et vocetur *a*²⁴; sinistrum oculum sanum, et vocetur *b*. Inde sic: SORTES VULT A ESSE TALE QUALE EST B. *Probatio*. Sortes vult oculum egrum esse sanum. Ergo VULT etc. <Contra. SORTES VULT A ESSE TALE QUALE EST B>. Ergo Sortes vult esse *b* tale quale est *a*.

241 *Solutio*. Prima est vera. In improbatione est fallacia accidentis. Non enim sequitur quod si antecedens est volitum quod consequens sit volitum. Dicit²⁵ enim Aristotiles in libro *Topicorum* quod multi volunt stuprum et tamen nullus vult esse incontinens, licet *incontinens* necessario sequitur ad *stuprum*.

VII.4 De multiplicitate incidente circa hanc dictionem 'unum'

242 Notandum quod licet hoc quod dico 'unum' dicat unitatem, unitas autem omnis sit a forma, unitas potest in aliquo communi esse dupliciter, videlicet aut ratione forme proprie aut aliene, scilicet ratione alicuius forme particularis contente sub illa communi. Unde hec est duplex: 'omnis homo est unum animal' ex eo quod hoc quod dico 'unum' potest dicere unitatem que insit animali a forma propria animalis et tunc idem est quod hec: 'omnis homo est animal'. Aut potest dicere unam rem que insit animali a propria ratione unius forme contente sub animali. Et tunc est sensus: 'omnis homo est unum animal quod est homo'.

243 Secundum hoc solvitur hoc sophisma: OMNIS HOMO EST UNUS SOLUS HOMO. *Probatio*. Sortes est unus solus homo, Plato, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra*. OMNIS HOMO etc. Ergo unus solus homo est omnis homo.

244 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod hec dictio 'unus' potest dicere unitatem in homine que insit illi ratione forme proprie, aut unitatem que insit homini ratione forme particularis sub *homine* contente. Primo modo sensus est: omnis homo est et homini inest unitas. Nunc idem est ac si diceretur: 'omnis

24. a] b f

25. *Topica* VI 8, 146b25-27.

homo est homo'. Et sic est vera et sic probatur et sic non sequitur improbatio. Secundo modo sensus est: omnis homo est unus solus homo numero. Et sic est falsa. Et sic sequitur improbatio, sicut sequeretur improbatio: 'omnis homo est Sortes; ergo Sortes est omnis homo'.

245 Alio modo potest solvi dicendo quod hoc quod est 'unus' potest esse nomen adiectivum vel nomen numerale sive signum, quod idem <est>. Primo modo vera est prima et probata. Hoc enim quod est 'unum', secundum quod est nomen adiectivum, ponit unitatem absolute in suo subiecto, sicut hoc quod dico 'albus' ponit albedinem in suo subiecto, ut cum dicitur: 'homo est albus', idest: *homo est et illi inest albedo*. Secundum autem quod 'unus' est nomen numerale, falsa est prima. Tunc enim dicit unitatem unius numeri. Sic secundum quod est signum, falsa est prima. Tunc enim 'unus' facit illud 'homo' teneri pro aliquo homine particulari. Et hec solutio secunde eadem est cum prima.

246 Alio modo potest solvi dicendo quod prima duplex est ex eo quod 'unus' potest dicere unum²⁶ quod est convertibile cum ente. Et sic prima est vera. Est enim sensus 'omnis homo etc.', idest: omnis homo <est homo>. Vel potest dicere unum quod est principium numeri. Et sic prima est falsa. Est enim sensus 'omnis homo etc.', idest: *omnis [47va] homo est unus homo numero*.²⁷

248 Simile est hoc: OMNIS HOMO EST ALIQUIS HOMO. *Probatio* patet per singulares. *Contra*. OMNIS HOMO etc. Ergo aliquis homo est omnis homo.

249 *Solutio*. Prima <est> duplex tot modis quot²⁸ et alia. Si enim li 'aliquis' dicat aliquam²⁹ qualitatem que insit homini a propria forma, sive 'aliquis' sit nomen adiectivum sive 'aliquis' dicat unitatem ut rem sive 'aliquis' dicat unitatem que est convertibilis cum ente (*aliquid* enim et *unum* convertuntur), - vera est prima. Si vero 'aliquis' dicat unitatem in hoc quod insit illi a forma unius communi contenta sub *homine* sive si 'aliquis' sit nomen numerale vel signum sive dicat unitatem ut modum sive dicat unum quod principium est numeri, - falsa est prima et improbat.

250 Simile est hoc sophisma: OMNIS HOMO HABET UNUM SOLUM CAPUT.

26. unum] unitatem F

27. homo] F etc. add. F

28. quot] quod F

29. aliquam] aliam F

Probatio patet per singulares. *Contra*. OMNIS HOMO etc. Ergo unum solum caput habetur ab omni homine. Omne enim activum infert suum passivum.

251 *Solutiones* tot et eedem que in aliis. Et eodem modo vera et falsa.

VII.5 De multiplicitate incidente circa dictiones exclusivas

252 Notandum est quod

quando <cum> que hec dictio 'tantum' additur termino accidentali, duplex est locutio ex eo quod potest fieri exclusio ratione forme vel ratione materie.

Forma appellatur hic forma accidentalis, materia vero appellatur substantia cui inest forma accidentalis. Cum enim *album* idem sit quod *res alba*, *res* autem dicitur materia huius quod est album, albedo vero forma.

253 Secundum hoc solvitur hoc sophisma: TANTUM UNUM EST. *Probatio* patet per singulares. <Ergo> nichil est quod non sit unum. *Contra*. TANTUM UNUM etc. Unum est. Non ergo multa sunt.

254 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod hec dictio 'tantum' addita huic termino 'unum' potest facere exclusionem ab ipso ratione materie huius quod est unum vel ratione forme eiusdem. Si primo modo, tunc excluduntur opposita eius quod est res sive ens. Res enim sive ens est materia eius quod est unum. Et est sensus: tantum ens est sive res et cuilibet enti inest unitas. Et sic prima vera et probata et sic non sequitur improbatio. Dictio enim exclusiva addita singulari non excludit plurale eius, sicut <non> sequitur 'tantum homo currit; non ergo homines currunt'. Prima enim potest esse vera posito quod multi homines currant, et solum ita quod non alia animalia. Conclusio vero falsa. Et sic non sequitur 'tantum unum est; non ergo unum sive multa sunt'. Secundum quod prima est vera. Si vero fiat exclusio ratione forme, sic est prima falsa. Tunc enim excluduntur forme opposite *unius*. Unde sensus est 'tantum unum est' idest: tantum una res est numero. Et sequitur improbatio. Ergo sequitur: 'tantum album currit; non ergo nigrum'.

255 Alio modo potest dici, et bene, quod prima est duplex ex eo quod hoc quod dico 'unum' potest accipi prout est convertibile cum ente. Et sic prima est vera et probata. Est enim sensus: tantum ens est. Vel potest sumi pro uno quod est principium numeri. Et sic prima est falsa. Est enim sensus: tantum unum

numero <est>. Et sic sequitur improbatio, sicut sequitur: 'tantum duo currunt; non ergo tria'. Dictio enim exclusiva addita maiori numero excludit minorem.

256 Simile est hic. Ponatur quod sint tantum Sortes et Plato; demonstrantur per hoc pronomen 'istorum'. Inde sic: TANTUM ALTER ISTORUM EST. *Probatio*. Alter istorum est. Et nichil est quod non sit alter istorum. Ergo prima est vera. TANTUM etc. Ergo reliquus istorum <non> est.

257 *Solutio*. Prima est duplex, sicut in prima. Si enim fiat exclusio ratione materie, vera est prima et probata. Est enim sensus: quicquid est aliquid istorum est et utrique istorum inest alteritas. Si ratione forme, sic est prima falsa. Et sic excluduntur forme opposite alteritati. Unde sequitur 'tantum alter istorum est; non ergo reliquus'. Et sic est falsa et improbata.

258 Simile est hic; et eadem est positio que erat in precedenti. [47vb] SI TANTUM ALTER ISTORUM EST, NON TANTUM ALTER ISTORUM EST. *Probatio*. Si tantum alter istorum est, <alter istorum est>. Et si alter istorum est, reliquus istorum est. Et si reliquus, non tantum alter istorum. Ergo, a primo, si tantum etc. *Contra*. Ibi sequitur oppositum ad oppositum. Ergo locutio est falsa.

259 *Solutio*. Prima est duplex gratia sui antecedentis. Hoc enim antecedens est duplex: 'tantum alter istorum est' ex eo quod potest fieri exclusio gratia forme. Et sic est falsa et impossibilis, quia ex impossibili sequitur quidlibet. Ideo conditionalis est vera. Si ratione materie, sic est antecedens verum et consequens falsum.

VII.6 De multiplicitate incidente circa hanc dictionem 'qui'

260 Notandum quod

hec dictio 'quod' quandoque tenetur infinite, quandoque implicative.

Secundum hoc solvitur hoc sophisma. Ponatur quod sint quidam homines ceci et quidam videntes. Inde sic: OMNIS HOMO VIDET QUOD IPSE VIDET. <*Probatio*>. Eius contradictoria est falsa, hec scilicet: 'aliquis homo non videt quod ipse videt'. Ergo prima est vera. *Contra*. OMNIS HOMO etc. Sed cecus homo est homo. Ergo cecus videt quod ipse videt. Ergo cecus videt aliquid.

261 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod hec dictio 'quod' potest teneri infinite vel implicative. Est autem talis differentia in hoc quod est 'quod' quod

vel³⁰ tenetur implicative vel infinite. 'Quod' secundum quod tenetur implicative, ponit aliquid sub certa temporis differentia, ut cum dicitur 'Sortes qui est albus currit'. Hec enim <locutio 'est albus'> ultime implicationis ponit albedinem in Sorte in presenti. Secundum quod vero tenetur infinite, non ponit aliquid determinate sub certa temporis differentia, immo sub qualibet indifferenter. Ut cum dicitur: 'qui tyrannum interficiet, premium accipiet'. Sensus enim est: in quocumque tempore aliquis tyrannum interficiet, premium accipiet. Secundum vero quod tenetur infinite, habet virtutem consecutionis. Si ergo 'quod' teneatur implicative, falsa est prima. Tunc enim ponitur quod aliquis homo videat aliquid in presenti. Et tunc sequitur improbatio. Et sic ad probationem respondendum est per interemptionem. Tunc eius contradictoria [prima] vera est. Si vero teneatur infinite, prima vera est. Est enim sensus OMNIS HOMO *etc.*, idest, si omnis homo videt aliquid, videt illud. Et sic non sequitur improbatio.

262 Similiter est hic: OMNIS HOMO QUI CURRIT MOVETUR. *Probatio.* Eius contradictoria est falsa. Ergo ipsa est vera. *Contra.* OMNIS HOMO *etc.* Et <nullus homo currit quin> ipse movetur.

263 *Solutio.* Dicendum est, sicut in prima, quod prima est duplex ex eo quod 'qui' potest teneri infinite. Et sic prima est vera et tenet probatio, improbatio vero non tenet. Vel implicative. Et sic est falsa et tenet improbatio. Ad probationem vero respondendum per interemptionem.

264 Notandum quod hec dictio 'quod' quando<que> tenetur implicative, quandoque relative. Et tunc talis est differentia quod quandoque tenetur implicative, aliquid ponit in certa temporis differentia et quod est in se ponit in alio. Quando vero tenetur relative, quod est in alio³¹ ponit in se <et> quod est in se circa eam refert substantiam in quantum est sub actu. Unde tunc actum qui est in substantia ad quam refertur ponit in se. Et hoc patet in pronominiis relativis que semper sunt relativa³² et numquam sunt implicative. Exponitur³³ enim: 'homo currit et ille disputat', idest: homo in quo est cursus, vel homo currens, disputat.

265 Secundum hoc solvitur hoc sophisma: OMNE FALSUM QUOD EST IMPOSSIBILE OPPONITUR VERO. *Probatio.* Eius contradictoria est falsa, hec

30. quod vel] vel quod F

31. alio] aliquid

32. relativa] relativum F

33. exponitur] sequitur F

scilicet: 'aliquid falsum quod³⁴ est impossibile, opponitur vero'. Ergo prima est vera. *Contra*. OMNE FALSUM *etc.* Ergo omne falsum est impossibile et illud opponitur vero.

266 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod 'quod' potest teneri implicative vel relative. Si implicative, sic est vera et tunc 'falsum' restringitur ad supponendum tantum pro falsis impossibilibus; et ideo 'falsum' distribuitur³⁵ tantum pro ipsius³⁶ significatis. Signum universale non confundit terminum nisi secundum quod permittit sui determinatio. Tunc enim sensus est 'OMNE FALSUM *etc.*', idest: omne falsum impossibile [48ra] opponitur vero. Et tunc non sequitur improbatio, immo est ibi fallacia consequentis de inferiori ad superius, sicut hic: 'omnis homo albus currit; ergo omnis homo est et ille currit'. Hoc enim quod est 'falsum impossibile' inferius est ad hoc quod est 'falsum'. Ergo cum procedatur ab 'impossibili' ad hoc quod est 'falsum', fit consequens. Si vero 'quod' teneatur relative, sic est prima falsa et sequitur improbatio. Respondendum est ad probationem, sicut³⁷ in prima, per interemptionem.

267 Similiter est hic: TU SCIS CAUSAM QUA NON ES HOMO. *Probatio*. Tu scis aliquam causam qua non es homo. Et illa non causat te esse hominem. Ergo prima vera. *Contra*. TU SCIS *etc.* Ergo tu scis aliquam causam que causat te non esse hominem. Ergo tu non es homo.

268 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod 'qua' potest teneri implicative vel relative. Si implicative, sic est falsa,³⁸ et est sensus: tu scis causam que causat te non esse hominem. Et sic sequitur improbatio. Si relative, sic est vera et est sensus: tu scis aliquam causam et illa causa non es homo. Et tunc hec est duplex: 'tu non es homo aliqua causa', sicut hec 'Sortes non currit necessario' ex eo quod potest esse negatio causalitatis vel causalitatis negationis. Si sit causalitatis negatio, sic est prima vera et probata. Est enim sensus: tu scis aliquam causam que nichil facit ad hoc quod tu sis³⁹ homo, sive non causat te esse hominem. Si vero sit causalitatis negationis, sic est prima falsa. Est enim sensus: tu scis aliquam causam

34. quod] *F*^c *om. F*

35. distribuitur] *F*^c restringitur *F*

36. ipsius significatis] ipsius significationis *F*

37. sicut in prima] false est et (!) *F*

38. falsa] *rasura in F*

39. sis] scis *F*

que causat te non esse hominem. Et ita sequeretur quod non es homo, et sequitur improbatio.

269 Similiter est hic. Ponatur quod Sortes et Plato sint albi tantum et Plato sit albiior Sorte. Inde sic: SOLUS SORTES EST ALBUS QUO PLATO EST ALBIOR. *Probatio.* Sortes⁴⁰ est albus quo Plato est albiior. Nullus alius a Sorte est⁴¹ albus quo Plato albiior est eo. Ergo prima vera. *Contra.* SOLUS SORTES etc. Ergo solus Sortes est albus et Plato est albiior eo. Ergo solus Sortes est albus, quia copulativa infert aliquam partem sui.

270 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod 'quo' potest teneri implicative vel relative. Si implicative, sic prima est vera et probata. Est enim sensus: solus Sortes quo Plato est albiior est albus. Si relative, sic est falsa et improbata. Est enim sensus: solus Sortes est albus et Plato est albiior eo.

271 Similiter est hic: ALIQUA SUNT QUE NULLA SUNT QUE NECESSARIA SUNT. *Probatio.* <Aliqua sunt contingentia>. Contingentia sunt que non sunt necessaria. Ergo prima est vera. *Contra.* ALIQUA etc. Ergo aliqua sunt que non sunt et illa sunt necessaria. Quod falsum est.

272 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod 'que' ante⁴² 'necessaria' positum <potest> referri ad 'aliqua' vel ad primum 'que'. Si ad 'aliqua', prima est falsa et probata. Si secundo modo, sic est duplex ex eo quod 'que' potest teneri implicative vel relative. Si implicative, sic est prima vera et est sensus: aliqua sunt que sunt nulla necessaria. Si relative, sic est falsa et est sensus: aliqua sunt que non sunt et illa necessaria sunt.

VII.7 De multiplicitate incidente circa dictiones relativas

273 Notandum quod

relatio quando sequitur distributionem in eadem oratione, relatio multiplicatur secundum multitudinem distributionis.

Unde tunc non est una relatio sed plures. Secundum hoc solvitur hoc sophisma. Ponatur quod Sortes videat se et nullum alium a se; et Plato similiter. Inde sic:

40. Sortes ... Plato] plato ... sortes F

41. est] F^c om. F

42. ante necessaria] potest necessario (l)F

OMNIS HOMO VIDET SE. *Probatio.* Sortes videt se, Plato videt se, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* OMNIS HOMO etc. Ergo omnis homo videt omnem hominem.

274 *Solutio.* Prima est vera. In improbatione⁴³ vero est fallacia consequentis. In prima enim multiplicatur relatio secundum multitudinem distributionis. Quot enim sunt partes distributionis secundum numerum, tot sunt partes relationis distribuentes secundum numerum. Ad quamlibet enim partem distributionis⁴⁴ sequitur relatio. Sicut ergo non sequitur: 'Sortes videt se; ergo Sortes videt omnia', similiter non sequitur argumentum improbationis.

275 Similiter est hic: OMNIS HOMO DIFFERT A QUOLIBET HOMINE PRETERQUAM AB ILLO. [48b] *Probatio* per singulares. *Contra.* OMNIS HOMO etc. Ergo omnis homo differt preterquam ab omni homine. Solutio eadem est cum solutione presentis.

276 Notandum quod

cum in aliqua oratione ponuntur plura ad que potest referri relatio, multiplex est locutio illa ex eo quod illa relatio potest referri ad unum vel ad alterum, vel secundum quod potest referri ad totum vel ad partem.

277 Secundum hoc solvitur hoc sophisma. Ponatur quod omnis homo videat se tantum. Inde sic: <SOLUS> SORTES VIDET SE. *Probatio.* Sortes videt se. Nullus alius a Sorte videt Sortem. Ergo prima est vera. *Contra.* SOLUS SORTES etc. Ergo Plato non videt se. Quod falsum est.

278 *Solutio.* Prima est duplex eoquod hoc relativum 'se' potest referre hunc terminum 'Sortem' cum exclusionem vel sine. Si cum exclusionem, sic prima falsa est et improbata. Si secundo modo, vera est et probata.

279 Simile est hoc: OMNE NON-ANIMAL QUOD ET SORTES SUNT DUO, DIFFERUNT A SORTE. *Probatio.* Hoc non-animal (demonstrato lapide) quod et Sortes sunt duo, differunt a Sorte: illud, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* <OMNE> NON ANIMAL etc. Ergo omne [vel] aliud quam animal quod et Sortes sunt duo, differunt a Sorte. Sed Sortes est aliud quam animal quod aliud quam animal et Sortes sunt duo. Ergo Sortes differt a Sorte.

43. improbatione] *F*^c probatione *F*

44. distributionis sequitur relatio] *F*^c relationis sequitur distributio *F*

280 *Solutio*. Prima vera est simpliciter. Hec autem est duplex: 'omne aliud quam animal etc.', ex eo quod 'quod' potest referri ad hoc totum 'aliud quam animal' vel ad hunc terminum 'animal'. Eadem duplicitate est duplex hec: 'Sortes est aliud quam animal etc.'. Si primo modo, sic est prima vera et media falsa. Si secundo modo, tunc media vera est et prima falsa.

281 Simile est hoc: AD QUODLIBET ENUNTIABILE SEQUITUR IPSUM ESSE VERUM. *Probatio* per singulares. *Contra*. AD QUODLIBET etc. Ergo ad falsum [esse] sequitur ipsum esse verum.

282 *Solutio*. Quidam dicunt quod prima est vera, et hec que est in improbatione: 'ad falsum sequitur ipsum esse verum' est duplex ex eo quod hoc relativum 'ipsum' potest referre hoc totum 'falsum esse'; et sic est vera et sequitur ex prima; vel hunc terminum 'falsum' solummodo; et sic est falsa et non sequitur ex prima.

283 Sed <alio modo> solvitur⁴⁵ dicendo quod prima est vera simpliciter. Omne enim quod ad⁴⁶ aliud sequitur ut positum <in esse>, illud⁴⁷ se habet in esse. Huius enim⁴⁸ 'ad hominem'⁴⁹ sequitur animal' sensus est: ad omnem hominem positum in esse sequitur animal. Ergo prime sensus: ad quod <libet> enuntiabile positum in esse sequitur ipsum esse verum. Hec autem est vera. Ergo et prima ex qua sequitur. Ad improbationem vero respondendum est per fallaciam consequentis. Arguit enim ab inferiori ad superius cum hac dictione 'si'. Tale enim argumentum non valet: "bene sequitur: 'si homo est, risibile est; ergo si animal est, risibile est'. Eodem modo arguitur in improbatione: ad quodlibet enuntiabile positum in esse sequitur ipsum esse verum; ergo ad quodlibet enuntiabile sequitur <ipsum> esse verum.

284 Similiter est hic: QUALECUMQUE EST ALIQUID: SI IPSUM EST ALBUM, TALE EST ALIQUID SI IPSUM EST NIGRUM. *Probatio*. Album est aliquid, si ipsum est album. Nigrum est aliquid, si ipsum est nigrum. Ergo quaecumque etc. Vel sic: quaecumque est aliquid si ipsum est album, tale est aliquid si ipsum est nigrum. Ergo prima est vera. *Contra*. QUALECUMQUE <EST> ALIQUID etc. Ergo

45. solvitur] sequitur F

46. quod ad] ad quod F

47. illud] aliter F

48. enim] erit F

49. hominem] Sortem F

qualiscumque coloris est aliquid, si ipsum est album, talis coloris est aliquid si ipsum est nigrum. <Quod falsum est.>

285 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod 'qualecumque' potest construi cum hoc verbo 'est' a parte ante vel a parte post. Sed a quacumque parte construat, adhuc est duplex ex eo quod ipsum potest referri ad 'qualecumque' vel ad 'aliquid'. Si primo modo, tunc a quacumque parte construat 'qualecumque', prima est vera et probata. Est enim sensus: qualecumque est aliquid, si ipsum (idest qualecumque) est⁵⁰ aliquid tale (idest aliquid) si ipsum (idest qualecumque) est nigrum. Si vero 'ipsum' referatur ad 'aliquid', sic est prima falsa et improbata. Est enim sensus: qualecumque est aliquid, si ipsum est, (idest si aliquid est) nigrum. Eadem duplicitate est duplex quelibet probantium.

286 Similiter [48va]: UBICUMQUE EST ALIQUID: SI IPSUM EST ROME, IBIDEM EST EXISTENS ALIQUID SI IPSUM EST PARISIUS. *Probatio*. Ubicumque existens est aliquid si ipsum est Rome, ibidem existens est aliquid si ipsum est Parisius. Ubicumque existens est aliquid si ipsum est Parisius, ibidem existens est si ipsum est Rome. Ergo prima vera est.⁵¹ *Contra*. UBICUMQUE etc. Ergo si aliquid est Rome, ipsum est Parisius. Quod falsum est.

287 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod duo 'ipsum' possunt referri ad 'ubicumque existens' <vel ad 'aliquid'. Si ad 'ubicumque existens', [et] sic prima vera et probata est. Est enim sensus: ubicumque est aliquid: si ipsum ubicumque existens est aliquid, ibidem (idest > ubicumque) est aliquid si ipsum est Parisius. Si vero 'ipsum' duo referantur ad 'aliquid', sic prima est falsa. Est enim <sensus>: ubicumque est aliquid: si[c] ipsum, (idest si aliquid) est Rome⁵² existens, <ibidem est existens> (idest aliquid) si ipsum est Parisius.⁵³ Eadem duplicitate est duplex quelibet probantium.

288 Similiter est hic. Ponatur quod si <n>t decem homines quorum novem sciant se, decimus vero nichil sciat de se neque de aliis. Inde sic: DECEM PRETER UNUM SCIUNT SE <ESSE> NOVEM. *Probatio et improbatio bene patent.*

289 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod 'se' potest referri ad hoc quod est

50. est] *F* ipsum idest qualecumque est *add. F*

51. est] etc. *F*

52. Rome] *parisius F*

53. Parisius] *rome F*

'decem' cum exclusione vel sine. Si cum exclusione, tunc prima est vera et probata; si sine, falsa et improbata.

290 Similiter est hic: NULLUS HOMO POTEST SCIRE QUOD ALIQUIS HOMO POTEST SCIRE. *Probatio*: Nullus homo potest scire se non esse, quod aliquis homo potest scire. Ergo prima est vera. Vel⁵⁴ sic: Sortes non potest scire quod aliquis homo potest scire; Plato, et sic de singulis. Ergo omnis homo etc. *Contra*. NULLUS HOMO etc. Eius contradictoria est vera. Ergo ipsa est falsa.

291 *Solutio*. Prima est falsa simpliciter et tenet improbatio. Ad primam probationem dicendum quod hec est duplex: 'nullus homo potest scire se non esse quod aliquis homo potest scire' ex eo quod hoc relativum 'quod' potest referri ad hec tria tantum: 'se non esse'; et sic est falsa, et est sensus: nullus homo potest scire se non esse quod (idest <se> non esse), aliquis homo potest scire. Et hoc modo sequitur prima ex ipsa. Vel potest referri ad hanc totam propositionem: 'nullus homo potest scire se non esse'. Et sic est vera. Et est sensus: nullus homo potest scire non <esse> se, quod (scilicet *nullum hominem posse scire se non esse*), <aliquis homo potest scire>, quia potest aliquis homo scire. Et non sequitur prima ex ipsa, immo est ibi figura dictionis. Et <si> non, est ibi equivocatio.

292 Ad aliam vero probationem dicendum quod est ibi consequens ab insufficienti, sive 'quod' teneatur implicative sive relative. Huius enim 'nullus homo potest scire quod aliquis homo potest scire' sensus est: nullus homo potest scire scitum ab alio homine. Si ergo recte probetur hoc participium 'scitum ab aliquo homine', debet probari de qualibet parte ipsius distributionis quod est 'nullus'. Debet ergo sic probari: Sortes non potest scire quod aliquis homo potest scire; sive: Sortes non potest scire scitum ab aliquo homine. Hec autem a parte huius quod est 'aliquo homine', est universalis; hoc autem quod est 'aliquo homine' sequens negationem est distributio. Hec igitur 'Sortes non potest scire etc. debet probari: Sortes non potest scire quod Sortes potest scire; Sortes non potest scire quod Plato potest scire; et sic de singulis. Et sic quilibet probantium deberet pronuntiare omnia singula <ria>. Cum ergo in pronuntiatione omnia singula <ria> omittantur, fit fallacia consequentis ab insufficienter.

54. Vel sic ... homo etc.] *post* ergo ipsa est falsa habet F

VIII DE DUOBUS SINCATEGOREUMATIBUS

IN EADEM LOCUTIONE POSITIS

293 Notandum quod:

quandocumque duo sincategoreumata ponuntur in aliqua locutione, duplex est locutio ex eo quod unum potest esse materiale respectu alterius¹ vel formale; vel ex eo quod locutio ita potest iudicari penes unum vel per alterum; vel ex eo quod unum potest includere aliud,² vel e converso.

Idem enim est illud quod includit et illud quod est formale et idem <de eis> fit iudicium; et etiam illud³ quod est materiale et illud quod includitur idem sunt.

294 Secundum hoc solvitur hoc sophisma: SOLA DUO SUNT PAUCIORA SOLIS TRIBUS. *Probatio et improbatio* satis patent.

295 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod potest iudicari per 'sola'; et sic est vera et probata. Vel per 'solis', et sic est falsa et improbata.

296 Similiter est hic: SOLUS NOMINATIVUS PRECEDIT SOLUM GENITIVUM. Solvitur eodem modo quo prima.

297 <Similiter est hic>: SOLA ASSUMPTIO PRECEDIT SOLAM CONCLUSIONEM. *Probatio*. Assumptio precedit solam conclusionem. Et nichil aliud quam assumptio precedit solam conclusionem. Ergo prima est vera. *Contra*. SOLA etc. Non ergo minor. Quod falsum est.

298 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod potest iudicari per 'sola <m>'; et sic est vera et probata; [48vb] vel per 'sola[m]'; et sic falsa et improbata.

299 Similiter est hic. Ponatur quod Sortes videat una vice omnem hominem, alia vice omnem hominem preter Platonem. Inde sic: SORTES BIS VIDET OMNEM HOMINEM PRETER PLATONEM. *Probatio et improbatio* bene patent.

300 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod potest iudicari per 'bis' vel per 'preter'. Si primo modo, sic est falsa. Tunc enim multiplicatur secundum multitudinem de 'bis'. Unde sensus est: Sortes videt una vice et alia vice omnem hominem preter Platonem: et sic est falsa et improbata. Si vero iudicetur per

1. alterius] alterum F

2. aliud] aliquid F

3. etiam illud] id quod (l)F

'preter', sic prima vera et probata. Et est sensus: omnis alius a Platone fuit visus bis a Sorte. Hec enim solutio eadem est cum hac qua dicitur: prima est duplex ex eo quod potest esse distributio exclusionis <vel exclusio distributionis>. Primo modo falsa est et improbata; secundo modo vera et probata.

301 Simile est hoc: OMNIS HOMO EST ANIMAL ET ECONVERSO. *Probatio.* Sortes est animal et econverso, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* OMNIS HOMO etc. Ergo omne animal est homo. Quod falsum est.

302 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est vera; in improbatione est fallacia consequentis. Huius enim 'omnis homo etc.' sensus est: hec propositio 'omnis homo est animal' vera est⁴ et convertitur. Cum autem infert sic: 'omnis homo etc.; ergo omne animal est homo', convertit eam simpliciter. Arguit ergo sic: 'hec propositio convertitur; ergo sic convertitur' vel: 'ergo simpliciter convertitur'. Et sic est fallacia consequentis a superiori ad inferius affirmando.

303 Alii solvunt aliter dicendo quod prima est falsa simpliciter et in probatione est fallacia consequentis. Huius enim 'omnis homo etc.' sensus est: omnis homo est animal et omne animal est homo. Hec autem sic licet probari: Sortes est animal. Et omne animal est Sortes et omne animal est Plato et sic de singulis. Ergo etc. Sed quia omnes singulares preter unam obmittuntur, fit fallacia ab insufficienti.

304 Solvunt quidam aliter dicendo quod prima est duplex ex eo quod 'econverso' potest dicere conversionem simplicem vel conversionem per accidens. Si primo, sic est falsa et improbata. Si secundo modo, sic est vera et probata.

305 Melius potest solvi dicendo quod prima est duplex ex eo quod distributio potest includere copulationem vel copulatio distributionem. Si primo modo, vera est et probata; et tunc est de copulato predicato. Unde sensus est: omne animal inest omni homine, et econverso. Si secundo modo, sic est falsa et improbata. Unde sensus est: omnis homo est animal et omne animal est homo. Quod falsum est.

306 Similiter est hic: OMNIS HOMO ET ALIUS <HOMO> SUNT. *Probatio* et *improbatio* satis patent.

307 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est <falsa> et in probatione est

4. est] et econverso F

fallacia figure dictionis a pluribus determinatis ad unam huius termini 'alius', qui tenetur in premissis determinate et in conclusione simpliciter.⁵

308 Melius potest solvi dicendo quod prima est duplex ex eo quod distributio potest includere copulationem vel e converso. Si primo modo, vera est et probata. Tunc enim iste terminus 'homo' distribuitur ab hoc signo 'omnis' non absolute sed in comparatione ad 'alius homo'. Et tunc propositio non est categorica. Et tunc, <si> 'alius homo' in respectu 'alius', cuius fiat distributio, ponatur a parte subiecti aut a parte predicatorum, semper illud <refert> respectu cuius fit distributio. Hoc autem in proposito. Illud enim quod est a parte subiecti 'homo' predicatur de omni homine et non solum predicatur esse verum. Tunc enim sensus est: + esse et alius homo huius sive esse est alio homine + convenit omni homini. Et tunc 'alius' non refert distributionem sed multiplicatur relatio secundum multitudinem partium distributionis. Et secundum hoc: <quot> sunt partes distributionis diverse, tot sunt relationes diverse. Si vero iudicetur penes copulationem, sic est prima falsa. Unde cum relativum et ypotetica + tantum refert distributionem et non multiplicatur relatio. Unde tunc esse attribuitur homini et postea attribuitur ei quod est 'alius ab homine'. Unde sensus est: esse convenit homini et convenit alicui alii ab omni homine. Et tunc licet reddere predicatum cuilibet parti subiecti.

[309-328 in tabula post tractatum addita desunt; videas infra.]

309 Similiter est hic: OMNE VERUM ET DEUM ESSE DIFFERUNT. *Probatio* per singulares. *Contra*. OMNE etc. Sed Deum esse est verum. Ergo Deum esse differt a seipso. *Solutio* eadem cum solutione presentis.

310 Eadem est hic [49a]: NICHIL ET CHIMERA SUNT FRATRES. *Probatio et improbatio* bene patent.

311 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod hoc quod dico 'nichil' potest sumi ut terminus privativus vel ut terminus negativus; item ex eo quod 'fratres' potest sumi proprie vel improprie sive metaforice. Si vero hoc quod est 'nichil' sumatur ut terminus privativus et hoc quod est 'fratres' sumatur metaforice, sic est prima vera. Est enim sensus: illud quod est nichil et chimera sunt fratres, id est conveniunt. Et circa improbationem est fallacia secundum quid et simpliciter. Arguit enim sic: 'conveniunt in fraternitate; ergo conveniunt'. Si vero hoc quod est 'nichil' sumatur ut terminus privativus et hoc quod est 'fratres' sumatur

5. simpliciter] *F* solutio ergo differens est ab aliis add. *Fm*

proprie, sic est prima falsa. Et tunc respondendum est ad probationem per interemptionem. Hec enim 'aliquid et chimera sunt, fratres' non est contra <dictoria> proprie <prime>; utraque enim est affirmativa. Si vero 'nichil' sumatur improprie, sic prima est vera. Est enim sensus: 'nichil et nulla res <que> est est frater⁶ chimere et chimera est frater nullius rei. Utraque enim istarum est vera et prima similiter.⁷ Ad improbationem vero respondendum est per fallaciam consequentis ab inferiori ad superius negando. Arguit enim sic ex minori [natura] in prima figura: quaecumque sunt fratres, sunt; nichil et chimera sunt fratres; ergo nichil et chimera sunt.⁸

312 Notandum quod 'qualis' et 'talis' quandoque sumuntur relative, quandoque redditivae, quandoque demonstrativae. Secundum hoc solvitur hoc sophisma. Ponatur quod Sortes sit necessario albus, Plato vero contingenter niger. Inde sic: SORTES EST NECESSARIO TALIS QUALIS EST PLATO. *Probatio.* Sortes est necessario albus. Qualis est Plato. Ergo prima est vera. *Contra.* SORTES etc. Ergo Sortes est necessario similis Platoni. Quod falsum est.

313 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod ista nomina 'talis', 'qualis' possunt teneri redditivae vel relative. Si redditivae, sic prima est falsa et improbata. 'Talis' enim et 'qualis' sic sumpti idem sunt quod 'similis'. Si relative, sic prima est vera et probata. Tunc enim hoc quod est 'qualis' demonstrat specialem qualitatem, que est albedo. Unde sensus est: *Sortes necessario est talis*, idest albus, *qualis*, idest albus, *est Plato*.

314 Similiter est hic. Ponatur quod Sortes et Plato sint semper similes et sint modo albi, permutetur tamen albedo in nigredinem. Inde sic: SORTES DESINIT ESSE TALIS QUALIS EST PLATO. *Probatio et improbatio bene patent.*

315 *Solvitur* eodem modo sicut primum. Quidam vero solvunt aliter dicendo quod prima est vera simpliciter; in <im> probatione est fallacia consequentis ab inferiori ad superius cum hac dictione 'desinit'. Hoc enim quod est 'albus' inferius est <eo> quod est 'talis'.

316 Similiter est hic. TANTUM VERO OPPONITUR FALSO. *Probatio et improbatio bene patent.*

6. est frater] coniecti sunt F

7. similiter] simpliciter F

317 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod 'tantum' potest facere exclusionem generalem vel specialem.

318 Melius tamen solvitur dicendo quod prima est vera et hec per quam improbatur est duplex: 'tantum verum et falsum opponitur' ex eo quod hoc quod est 'tantum' potest facere exclusionem a toto dicto vel a parte dicti. Si primo modo, sic est falsa et improbata. Est enim sensus: *tantum ista duo opponuntur et nulla alia*. Si secundo modo, sic est falsa et probata, et non sequitur improbatio.

319 Similiter est hic. Ponatur quod Sortes et Plato sint fratres. Inde sic: TANTUM SORTES EST FRATER PLATONIS. *Probatio* et *improbatio* satis patent. *Solutio* eadem est omnino que in proximo.

320 Similiter est hic: TANTUM RISIBILE EST IDEM HOMINI. *Probatio* et *improbatio* satis patent. *Solutio*⁸ omnino est eadem que in duobus prioribus.

321 Similiter est hic: QUICQUID EST NECESSARIO VERUM VEL FALSUM, EST NECESSARIUM VEL IMPOSSIBILE. *Probatio*. Quicquid est necessario verum est necessarium vel impossibile. Quicquid est necessario falsum est necessarium vel impossibile. Ergo prima est vera. *Contra*. QUICQUID EST NECESSARIO *etc.* Sed te sedere verum est vel falsum. Ergo est necessarium vel impossibile. Non necessarium. Ergo impossibile.

322 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod potest esse disiunctiva vel non et ex eo quod potest iudicari penes 'vel' positum in subiecto; sive potest iudicari penes distributionem, quod idem est; et sic est vera et probata. Vel potest esse de disiuncto subiecto sive potest iudicari penes disiunctionem;⁹ et sic est falsa et improbata.

323 Similiter est hic [49b]: OMNE ANIMAL EST SANUM VEL EGRUM. *Probatio* patet per singulares. *Contra*. OMNE ANIMAL *etc.* Sed non omne animal est sanum. Ergo omne animal est egrum.

324 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod potest esse disiunctiva vel non, idest¹⁰ quod hoc quod dico 'vel' potest disiungere inter terminos vel inter propositiones. Si inter propositiones, sic est falsa et improbata. Si inter terminos, sic est vera et probata. Tamen est duplex ex eo quod potest iudicari penes

8. solutio] sortes *F*

9. disiunctionem] distributionem *F*

10. idest] idem est *F*

distributionem vel disiunctionem. Si primo modo, sic est vera et probata. Si secundo modo, sic est falsa et improbata; sive ex eo quod distributio potest includere disiunctionem vel e converso.

325 Similiter est hic: OMNE ANIMAL EST RATIONALE VEL IRRATIONALE.

Probatio et improbatio patent et solutio omnino est eadem que in proximo.

326 Similiter est hic: OMNIS PROPOSITIO VEL EIUS CONTRADICTIONARIA EST VERA. *Probatio* per singulares. *Contra*, OMNIS *etc.* Sed non omnis propositio est vera vel falsa. Ergo omnis eius contradictoria est vera vel falsa. Vel sic: OMNIS PROPOSITIO *etc.* Hec¹¹ propositio 'tu es asinus' <est> propositio vel eius contradictoria. Ergo ipsa vera.

327 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod potest esse disiunctiva, sive quod iste terminus 'propositio' potest distribui absolute vel in comparatione ad 'contradictorium'. Si primo modo, sic falsa, et sic sequitur improbatio. Si secundo modo, sic est categorica, et tunc hoc quod est 'propositio' est solummodo subiectum et hoc quod dico 'eius contradictoria' ponitur ex parte predicati. Unde si tunc aliquid sumatur recte sub medio, debet sumi tantummodo sub hoc quod est 'propositio'. Tunc enim disiunctum ponitur a parte predicati et multiplicatur secundum multitudinem distributionis. Et sic est prima categorica et vera et probata.

328 Et sic ex ipsa inferuntur due ultime improbationes. In quarum prima est fallacia secundum quid et simpliciter. Hoc enim quod dico 'esse verum' non est minime maior, sed hoc quod est 'esse verum vel eius contradictoria'. Debet ergo sic inferre: OMNIS PROPOSITIO *etc.*; ergo quoddam falsum est verum vel eius contradictorium. Cum vero hanc determinationem omittat, facit fallaciam secundum quid et simpliciter. In alia improbatio <ne> est inutilis coniugatio et similiter *secundum quid*. Secundum vero quod propositio prima vera est, hoc solum quod est 'propositio' medium est; sed ipse assumit sub hoc medio vel propositionem vel eius contradictoriam. Et sic facit quatuor terminos et sic inutilis est ibi coniugatio. 'Contradictoria' est minor extremitas. <Cum> omittat [non] hanc determinationem 'vel eius contradictoriam', ergo ipsa propositio est vera.]

329 Similiter est hic. Ponatur quod Sortes sciat quatuor enuntiabilia et desinat scire tria. Inde sic: SORTES DESINIT SCIRE PLURA QUAM DESINAT

11. hec] est F

SCIRE. *Probatio.* Sortes scit plura quam desinat scire. Et de cetero non sciet plura quam desinat scire. Ergo prima vera. *Contra.* SORTES *etc.* Ergo Sortes desinit scire aliqua que non desinit scire. Quod falsum est.

330 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod potest esse desitio pluralitatis. Et sic est vera et probata. Est enim sensus: scita a Sorte desinunt excedere <desita sciri a Sorte. Vel potest esse pluralitas desitionis. Et sic est falsa et improbata. Tunc enim est sensus>: desita sciri a Sorte sunt plura desitis sciri a Sorte.

331 Similiter est hic: SOLUS <SORTES> ET DUO SUNT TRIA. *Probatio.* Sortes non existens¹² cum alio et duo sunt tria. <Ergo> prima est vera. <Contra>. SOLUS SORTES *etc.* Sed Plato et duo sunt tria. Non ergo solus Sortes et duo sunt tria.

332 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod 'solus' potest facere exclusionem suam generaliter, vel non sed sub associatione. Si primo modo, sic prima falsa <est> et improbata. Est enim sensus: et Sortes et duo sunt [49va] tria et nullus alius a Sorte et duo sunt tria. Si secundo modo, sic est vera et probata. Et est sensus: Sortes associatus a nullo alio et duo sunt tria.

333 Similiter est hic: SOLIUS BINARII PARS EST UNITAS ET NULLUS NUMERUS. *Probatio et improbatio* bene patent.

334 *Solutio.* Prima est falsa, ut quidam dicunt; ad probationem vero respondendum dicendo quod hec duplex est: 'non alterius quam binarii pars est unitas et nullus numerus' ex eo quod negatio potest negare totam copulativam vel alteram partem. Primo modo vera est. Et est sensus: non est vera hec copulativa¹³ 'alterius quam binarii pars est unitas et nullus numerus': et sic non sequitur prima ex illa. In prima enim cum sit negatio implicita, non potest negare nisi primam partem. Si secundo modo, falsa et improbata.

335 Melius potest solvi dicendo quod prima est vera et <'et'> tenetur unitive; et tunc est sensus: unitas et nullus numerus est pars solius binarii. Et tunc in <im> probatione est fallacia secundum quid et simpliciter ex omissione huius determinationis 'cum nullo numero'.

12. existens] currit F

13. copulativa] copulatio F

IX DE SOPHISMATIBUS

CIRCA HANC DITIONEM 'NECESSARIO' INCIDENTIBUS

336 Sciendum quod

hec dictio 'necessario' quandoque facit duplicem locutionem ex eo quod potest determinare compositionem vel predicatum.

Et secundum hoc solvitur hoc sophisma. Ponatur quod si <n>t tres anime iuste necessario, cras vero nascentur tres alie et sint iniuste. Inde sic: OMNIS ANIMA NECESSARIO EST IUSTA. *Probatio.* Hec anima est iusta necessario, illa, et sic de singulis. Ergo prima vera. *Contra.* OMNIS ANIMA etc. Omnem animam esse iustam est necessarium. Ergo omnem animam esse iustam erit cras necessarium.

337 *Solutio.* Prima est duplex. In hoc enim quod est 'est' sunt duo, sicut in quolibet verbo, scilicet compositio et actus. Ergo adverbium 'necessario' poterit ipsum determinare gratia compositionis vel actus. Si gratia actus, sic prima est vera. Est enim sensus: hoc predicatum quod est 'necessario iustum' convenit omni anime. Et sic hoc quod <est> 'necessario' modum dicit secundum quod predicatum insit subiecto, et¹ est pars predicatorum que est in subiecto simpliciter et non sub modo aliquo.² Si determinat hoc verbum 'est' gratia compositionis, sic est falsa et improbata. Et est <sensus>: esse³ iustum necessario inest omni anime. Et sic sequitur quod esse iustum insit semper omni anime, <ubi> 'anima' non supponit personaliter et non supponit tantum pro animabus que sunt, sed supponit simpliciter. Et ideo supponit pro illis que <non> sunt et illis non convenit esse iustum. Et ideo improbatio est falsa in illo sensu. Hoc enim sensu 'necessario' non est pars predicatorum nec dicit modum secundum quod pars insit subiecto.

338 Similiter est hic: OMNIS HOMO DE NECESSITATE EST ANIMAL. *Probatio et improbatio* bene patent.

339 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est vera; in improbatione est fallacia antecedentis ex eo quod sub esse simpliciter⁴ sumitur <esse ut> nunc. In hac enim 'omnis homo necessario est animal' predicatur esse simpliciter: in hac autem 'Sortes de necessitate est animal' predicatur esse ut nunc. Et ita sumitur <sub>

1. et] nec F

2. aliquo] alio F

3. esse iustum] rem istam F

4. simpliciter] similiter F

medio pars corruptibilis, scilicet Sortes, sub quo deberet sumi pars incorruptibilis. Et ita fit *accidens*.

340 Aliter solvunt qui dicunt quod prima est duplex ex⁵ hoc quod duplices sunt partes, scilicet corruptibiles et incorruptibiles. Si sumantur partes primo modo, sic sumitur Sortes, et Plato, <et> Cicero, et sic de singulis. Si secundo modo, sic sumitur aliquis homo, iste homo, et sic de singulis. Potest ergo iste terminus 'homo' distribui aut pro partibus incorruptibilibus et sic vera est prima; aut pro partibus corruptibilibus; et sic falsa et improbata.

341 Solvitur autem aliter dicendo quod prima est duplex ex eo quod hoc quod dico 'necessario' potest determinare compositionem⁶ vel predicatum sive actum. Si primo modo, sic prima vera et probata. Est enim sensus: hoc dictum 'omnem⁷ hominem esse animal' est necessarium. [49vb] Si secundo modo, sic est prima falsa et improbata. Est enim sensus: esse animal necessario inest omni homini. Et tunc est de inesse. Et sic sub hoc quod est, predicantur simul omnes eius partes. Sicut cum dicitur: 'omni homini inest albedo'. Ex hac enim sequitur: 'ergo Sorti inest albedo'.

342 Vel aliter solvitur dicendo quod prima est duplex ex eo quod potest esse distributio necessitatis vel necessitas distributionis. Et hec solutio est eadem cum prima. Secundum quod est necessitas distributionis, li⁸ 'necessario' determinat compositionem. Secundum vero quod <est> distributio necessitatis, 'necessario' determinat predicatum. Et hec solutio debet poni in prima et in consimilibus.

343 Similiter est hic: ALTERUM ISTORUM NECESSARIO EST VERUM. *Probatio*. Hec propositio est vera 'alterum istorum est verum'. Et non potest esse falsa.⁹ Ergo est necessaria. Ergo <re>moto modo necessitatis <est> vera. Ergo prima¹⁰ est vera. *Contra*. Eius contradictoria est vera. Ergo ipsa¹¹ est falsa.

344 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod 'necessario' potest determinare predicatum, et sic est falsa et improbata; vel compositionem, et sic est vera et probata.

5. ex hoc quod duplices sunt] sub hec enim nunc duplices (1)F

6. compositionem] compositum F

7. omnem hominem esse animal] omne animal esse hominem F

8. li necessario determinat] hec (? pro licet) necessitas determinet F

9. falsa] falsum F

10. prima] hec F

11. ipsa] ergo add. F

345 Similiter est hic: ANIMA ANTICHRISTI NECESSARIO ERIT.¹² *Probatio.* Anima/ Antichristi erit. Et quando erit, necessario erit. Ergo prima est vera. *Contra.* ANIMA etc. Ergo anima/ Antichristi erit necessario.

346 *Solutio.* Prima est duplex. Si enim 'necessario' determinet verbum gratia actus, sic¹³ est prima vera et probata. Est enim sensus: ens necessario inest Antichristi anime. Si gratia compositionis, sic est falsa et improbata. Et est sensus: fore necessario inest anime Antichristi. Et sic est modalis.¹⁴ Et potest esse de inesse.

347 Similiter est hic: SOLA NECESSARIA NECESSARIO SUNT VERA. *Probatio.* Necessaria necessario sunt vera. Non alia a necessariis sunt <necessario> vera. Ergo prima est vera. *Contra.* SOLA NECESSARIA etc. Non ergo contingentia sunt vera.

348 *Solutio.* Prima est duplex. Si enim 'necessario' determinet 'sunt' gratia actus, sic prima est vera et probata. Est enim sensus: <verum> necessario <in> est solis necessariis. Si gratia compositionis, falsa et improbata. Est enim sensus: verum inest necessario solis necessariis.

349 Aliter potest solvi dicendo quod prima est duplex ex eo quod potest esse exclusio necessitatis; et sic prima est vera et probata; vel necessitas exclusionis; et sic falsa et improbata. Et hec solutio eadem est cum prima.

350 Similiter est hic: SOLA CONTINGENTIA ESSE VERA EST VERUM CONTINGENS. *Probatio.* Contingentia esse vera <est> verum contingens. Non alia quam contingentia esse verum est verum contingens. Ergo prima vera. *Contra.* SOLA etc. Ergo sola contingentia esse vera est verum.

351 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod potest esse exclusio contingentie,¹⁵ et sic est prima vera et probata; vel contingentia¹⁶ exclusionis; et sic est falsa et improbata.

352 Similiter est hic. Ponatur quod nullus homo dicat aliquid nisi Sortes/ qui dicat hominem esse asinum. Inde sic: QUOD AB ALIQUO ENUNTIATUR A NULO

12. erit] currit sic semper F

13. sic est] similiter F

14. modalis] mobilis F

15. contingentie] contingentis F

16. contingentia] contingens F

VERE DICITUR. *Probatio.* Eius contradictoria est falsa. Ergo ipsa est vera. *Contra.* QUOD AB ALIQUO etc. Ergo quod aliquis vere dicat nullus vere dicit.

353 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod 'vere' <potest> determinare 'dicitur' gratia actus vel gratia compositionis. Si primo modo, sic est prima vera et determinata.¹⁷ Et est sensus: nullus est verum dicens quod ab aliquo verum est enuntiari. Si secundo modo, sic falsa et improbata. Et est sensus: quod verum est a nullo dici verum est ab aliquo dici. Similiter hec est duplex: 'Sortes dicit falso Platonem esse asinum'. Si 'falso' determinet 'dicit' gratia actus, sic est vera. Et est sensus: <Sortes est> falsus in dicendo Platonem esse asinum. Si gratia compositionis, sic falsa est. Et est sensus: falsum est Sortem dicere Platonem esse asinum.

354 Similiter est hic: SI SORTES NECESSARIO EST MORTALIS, SORTES NECESSARIO EST IMMORTALIS. *Probatio.* Si Sortes necessario est mortalis, Sortes est necessario aliquis. Et si Sortes est necessario aliquis, Sortes necessario est. Et si Sortes necessario est, Sortes est necessario. <Et si Sortes est necessario, Sortes est necessario> immortalis. *Contra.* Ibi sequitur oppositum ad oppositum. Ergo locutio est falsa.

355 *Solutio.* Prima est duplex, ut quidam dicunt, ex eo quod 'necessario' potest determinare continuitatem essendi. [50ra] Et sic prima est vera et antecedens impossibile. Ad quod sequitur qui <d> libet. Vel potest dicere continuitatem modi.¹⁸ Et sic est falsa, quia antecedens est necessarium, consequens¹⁹ autem impossibile.

356 Alii solvunt aliter dicendo quod hoc quod est 'mortale' potest dicere differentiam - et sic prima est vera et probata -; vel potest dicere passionem vite; et sic falsa et improbata, quia antecedens est necessarium, consequens <autem> impossibile.²⁰

357 Alii solvunt aliter dicendo quod prima potest esse duplex. Hoc enim quod est 'mortale' idem est quod 'potens mori'. Hec ergo, scilicet 'Sortes est mortalis', idem est quod 'Sortes est potens mori'. In hac enim potentia significata per hoc

17. determinata] determinante F

18. modi] modo F

19. consequens autem] conclusione non F

20. impossibile] F^c possibile F

quod est 'potens' ordinatur ad subiectum eius quod est Sortes et²¹ ad actum eius qui est mori. Cum ergo 'necessario' proprie dicat necessitatem + ordinis quod poterit determinare ordinationem potentie ad subiectum +. Si primo modo, sic prima falsa, quia antecedens est verum. Est enim sensus: si Sortes habet potentiam ordinatam ad mo<rien>dum, Sortes est immortalis. Si secundo modo, sic prima est vera, quia antecedens est impossibile. Et est sensus: si Sortes habet necessario potentiam ad moriendum, Sortes est immortalis.

358 Melius potest solvi dicendo quod prima est duplex ratione sui antecedentis. Hoc enim quod est 'mortale' sicut dictum est <est idem> quod 'potens mori'. In hac igitur 'Sortes est mortalis' ordinatur mediante hoc verbo 'est' potentia moriendi ad Sortem; ordinatur item actus qui est mori ad²² Sortem mediante potentia. Utamque igitur istarum ordinationum²³ potest determinare 'necessario'. Si vero determinet 'necessario' ordinationem potentie²⁴ ad subiectum, sic est antecedens <verum> et ponitur <per> consequens 'Sortem <esse> immortalem' materia impossibilis.²⁵ Et ideo conditionalis vera. Non enim ponitur potentiam mo<rien>di inesse necessario Sorti. Et sic ponitur per consequens Sortem esse immortalem. Et ita antecedit pars <ad> totum. Consequens enim intelligitur in antecedente. Per antecedens enim ponitur tunc et Sortem esse mortalem et Sortem posse mori. Si vero 'necessario' determinet ordinationem actus ad subiectum, sic est prima falsa, quia antecedens est verum, consequens <autem> impossibile. Est enim sensus antecedentis: Sorti inest illa potentia necessario ad moriendum ordinata.

21. et] est F

22. ad Sortem] F^c om. F

23. ordinationum] determinationum F

24. potentie] possibile F

25. impossibilis] impossibile F

X DE SOPHISMATIBUS CIRCA NEGATIONEM INCIDENTIBUS

359 Notandum quod, sicut quidam dicunt, quod:

conditionalis in cuius consequente¹ ponitur negatio est duplex ex eo quod potest negare tantum consequens vel totam conditionalem.

Secundum hoc solvitur hoc sophisma: <N>ULLUS HOMO LEGIT PARISIUS NISI IPSE SIT ASINUS. *Probatio et improbatio bene patent.*

360 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est duplex ex eo quod negatio implicita in hoc quod est 'nullus' potest negare tantum consequens et sic est prima falsa; vel totam consequentiam; et sic est prima vera et probata.

361 Alii² solvunt dicendo quod hec 'aliquis homo etc.' non est contradictoria prime. In prima enim, cum negatio sit implicita, non potest negare totam consecutionem sed alteram partem tantum; quod exigeretur ad³ hoc quod alii contradiceret.

362 Vel potest solvi dicendo quod prima est duplex ex eo quod potest iudicari penes distributionem vel consecutionem, sive ex eo quod potest esse categorica vel ypotetica, vel ex eo quod fit consecutio dicti ad dictum, vel attributi ad dictum; quod idem est. Secundum enim quod indicatur penes distributionem, sic est categorica et secundum hoc est consecutio huius attributi quod est 'legere Parisius' ad hoc dictum quod est 'aliquem hominem esse asinum'; 'attribuitur' enim idem est quod 'predicatur', <+ +> quia etiam sic est vera et probata. Tunc enim consecutio ponitur a parte predicati. Unde multiplicatur secundum multitudinem distributionis. Est enim sensus: legere Parisius non convenit ulli homini si ipse non est asinus. Sic enim multiplicatur consecutio sive illatio⁴ secundum multitudinem distributionis, sicut cum dicitur: 'omnis homo videt se'. Si secundo modo, falsa est et improbata. Est enim sensus: <si> nullus homo <est> asinus, nullus homo legit Parisius. Hec enim conditionalis est falsa, cum antecedens sit verum, consequens impossibile vel falsum.

1. consequente] consequencie F

2. alii] aliter F

3. ad ... contradiceret] Ad hoc quod alii dicunt contradiceret vel potest solvi etc.

(1) F

4. illatio] relatio F

363 Similiter est hic: OMNIS HOMO EST SANUS⁵ NISI IPSE SIT EGER. *Probatio.* Eius contradictoria est falsa, [50rb] hec scilicet: 'aliquis homo est sanus⁵ nisi ipse sit eger'. Ergo prima est vera. *Contra.* OMNIS HOMO etc. Sed non omnis homo <est> sanus. Ergo omnis homo est eger. Quod falsum est.

364 *Solutio.* Prima est vera simpliciter. In <im>probatione est fallacia consequentis a negatione preposita ad negationem postpositam, vel a pluribus causis veritatis ad unam.

365 Similiter⁶ est hic: NULLUS HOMO EST, SI ALIQUIS HOMO EST. *Probatio* et *improbatio* bene patent.

366 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod potest esse negatio⁷ consequentis (sic est falsa est improbata), sive consequentie, et sic vera et probata.

367 Quidam vero solvunt aliter dicendo quod prima est falsa eoquod negatio cum sit implicita non potest negare nisi⁸ consequens tantum. Ad probationem vero solvunt distinguentes singulares ex eo quod negatio in eis posita cum sit libera, potest negare tantum consequens vel totam consequentiam. Primo modo false sunt et inferunt primam; secundo modo vere;⁹ et sic non sequitur prima ex illis.

368 Melius potest <solvi> sicut in primo.

369 Similiter hic est. Demonstrantur per hoc pronomen 'istorum' duo contradictorie opposita. Inde sic: UTRUMQUE ISTORUM EST VERUM SI RELIQUUM EST FALSUM. <*Probatio.* Hoc est verum, si> illud <est> falsum; et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* UTRUMQUE ISTORUM etc. Ergo si reliquum est falsum, utrumque est verum.

370 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod hoc quod dico 'reliquum' potest esse simplex nomen fixum vel participium vel ordinale. Primo modo falsa est. Secundo modo adhuc¹⁰ duplex est ex eo quod potest esse categorica vel ypotetica. Primo modo vera et probata; secundo modo falsa et improbata.

371 Similiter est hic: NULLO HOMINE CURRENTE TU ES ASINUS. *Probatio.* Eius contradictoria est falsa. Ergo ipsa est vera. *Contra.* NULLO HOMINE etc.

5. sanus] asinus *F*

6. similiter] simpliciter *F*

7. negatio] fallacia *F*

8. nisi] vera *F*

9. vere] vera *F*

10. adhuc] ad hoc *F*

Ergo si nullus homo currit (vel quia nullus homo currit, vel dum nullus homo currit), tu es asinus. <Quod est falsum.>

372 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod negatio intellecta in hoc quod dico <'nullus'> potest ferri¹¹ ad hoc quod dico 'nullo' vel ad hoc verbum 'es'.¹² Primo modo falsa et improbata; secundo modo vera et probata.

373 Solvitur aliter dicendo quod prima est falsa, negatio vero fertur¹³ ad hoc verbum 'es'.¹⁴ et ideo non potest negare illud eoquod a negatio <ne> nichil agitur supra illud quod precedit. Ad probationem vero solvendum est per interemptionem. Hec enim 'aliquo homine currente tu es asinus' non est contradictoria prime.¹⁵ Utraque enim est affirmativa, cum in utraque verbum principale affirmatur. Quare etc.

374 Similiter¹⁶ est hic: A NULO ENUNTIATUM A NULO VERE DICTUR.
<.....>¹⁶

375 Similiter est hic: FALSUM VERUM EST, SI ANTICHRISTUS EST. *Probatio*. Id quod est falsum est verum, si Antichristus est. Ergo prima est vera. *Contra*. Hec est quedam conditionalis cuius antecedens est contingens, consequens impossibile. Ergo est falsa.

376 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod potest esse categorica vel ipotetica; vel ex eo quod potest esse consecutio attributi ad dictum vel dicti ad attributum.¹⁷ Si primo modo, sic prima <est> vera et probata; et est sensus: id quod est verum, si Antichristus est <attribuitur> ei quod est modo falsum. Si secundo modo, sic falsa et improbata; et est sensus: <id quod est modo falsum, est verum, si Antichristus est>. Et hec per quam probatur est duplex 'id quod etc.' ex eo quod implicatio potest cadere <citra> consecutionem vel extra. Primo modo falsa est; secundo modo vera.

377 Similiter est hic. Ponatur quod Sortes dicat (<solum Platonem loqui. Inde sic: SORTES DICT <VERUM, SI SOLUS PLATO LOQUATUR. *Probatio*. Sortes dicit> solum Platonem loqui. Illud est verum si solus Plato loquitur. Ergo prima est

11. ferri] fieri F

12. es] est F

13. fertur] sequitur F

14. es] est F

15. prime] prima F

16. This sophism is found in the list added at f. 52ra but is missing in our text.

17. attributum] dictum F

<vera>. *Contra*. Hec est quedam conditionalis cuius antecedens est contingens, consequens impossibile. Ergo ipsa est falsa.

378 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod potest esse consecutio attributi ad dictum vel dicti ad attributum. Si primo modo, est vera et probata. Est enim sensus: verum sub hac conditione si solus Plato loquitur inest dicto Sortis. Si secundo modo, falsa et improbata.

379 Vel potest dici quod prima est <duplex>, distinguendo illam per quam probatur + ut predicatum predicari.

380 Similiter est hic. In rei veritate Sortes est albus, ponatur¹⁸ autem ipsum esse nigrum. <Inde sic>: ALBUM EST NIGRUM, SI SORTES EST NIGER. *Probatio et improbatio* bene patent.

381 *Solutio*. Prima est duplex oratio et eodem <modo> sicut in probatione¹⁹ <est> vera et falsa.

18. ponatur autem] por (?) F

19. probatione] F simile est hic add. F del. F^c

XI DE SOPHISMATIBUS

CIRCA DUPLICEM DETERMINATIONEM INCIDENTIBUS

382 Notandum quod

cum in aliqua locutione ponitur aliqua determinatio que¹ potest determinare diversa, duplex est locutio ex eo quod² potest determinare diversa.

Et secundum hoc solvitur hoc sophisma: [50va] DEUS DESINIT ESSE IN HOC INSTANTI. *Probatio.* Deus est in hoc instanti. De cetero non est in hoc instanti. Ergo prima vera. *Contra.* DEUS etc. Ergo Deus desinit esse.

383 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod hec determinatio 'in hoc instanti' potest determinare hoc verbum 'esse' vel hoc verbum 'desinit'. Primo modo vera et probata. Est enim sensus: Deus desinit illud³ esse habere quod habet⁴ in hoc instanti, <et> de cetero non habebit. Si secundo modo, sic est falsa et improbata. Et est sensus: desinit esse habere in consequenti.

384 Similiter est hic: Sint duo homines, Sortes et Plato, Plato moriatur. Sortes autem non. Inde sic: SORTES DESINIT ESSE ANTE MORTEM PLATONIS. *Probatio.* Sortes est ante mortem Platonis. Et de cetero non est ante mortem Platonis. Ergo prima vera. *Contra.* SORTES etc. Ergo Sortes desinit esse antequam Plato moriatur. Quod falsum est.

385 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod hec determinatio 'ante mortem Platonis' potest determinare hoc verbum⁵ 'esse'; et sic est vera et probata; vel hoc verbum 'desinit'; et sic est falsa et improbata.

386 Similiter est hic. Ponatur quod Sortes sit in penultimo instanti vite sue. Inde sic: SORTES DESINIT ESSE NON DESINENDO ESSE. *Probatio et improbatio* bene patent.

387 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod hec determinatio 'desinendo esse' potest determinare hoc verbum 'esse'; et sic vera et probata. Est <enim> sensus:

1. que potest determinare diversa] *F^c om. F*
2. quod] que (!) potest determinare diversa *F^c om. F*
3. illud] id *F*
4. habet in hoc instanti] est in consequenti (!) *F*
5. verbum] *F* desinit hoc verbum desinit *add. F*

Sortes desinit habere illud esse quod habet,⁶ non desinendo esse. Vel hoc verbum 'desinit', et sic est falsa. Et est sensus: Sortes desinit esse dum non desinit.

388 Similiter est hic. Ponatur quod Helena peperit una vice filium et alia vice alium et sic usque ad decem. Inde sic: HELENA PEPERIT DECIES DECEM FILIOS. *Probatio.* Helena peperit una <vice> filium, alia vice alium et sic usque ad decem. Ergo prima vera. *Contra.* Helena peperit decies decem filios. Sed <decies> decem sunt centum. Ergo Helena peperit centum filios.

389 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod multitudo importata per 'decies' et per 'decem' potest teneri coniunctim; et sic falsa et improbata. Vel alterum coniunctim alterum divisim. Et sic iterum falsa et improbata. Vel utrumque divisim; et sic est vera et probata.

390 Solvitur alio modo dicendo quod prima est duplex ex eo quod 'decies' potest determinare hoc verbum 'peperit' vel hoc nomen 'decem'. Si primo <modo>, sic est vera et probata. Et est sensus: Helena⁷ peperit decem vicibus decem filios. Si secundo modo, falsa est <et> improbata.

391 Sit *a* quoddam tempus statutum quod in veritate est,⁸ poterit tamen esse vel non esse. Inde sic: DEUS ERIT IN A <SI A NON ERIT>. *Probatio.* Si *a* non est, Deus est. Hec est necessaria. Necessarium sequitur ad quodlibet. Ergo prima est vera. *Contra.* Nichil erit in *a* si *a* non erit. Quare⁹ si non erit, Deus non erit. <Quod est falsum.>

392 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod hec determinatio 'in *a*' potest determinare predicatum; et sic est falsa. Vel hoc <verbum 'erit'>; et sic est vera.

393 Similiter est hic, retenta priore <positione> utpote si <c>: DEUS EST IN A, QUICQUID CONTINGAT. *Probatio.* Deum esse est necessarium. Sed necessarium erit verum. Quare prima est <vera>. *Contra.* DEUS etc. Sed potest contingere *a* non esse. Ergo Deus erit in *a*, si *a* non erit. <Quod est falsum.>

394 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod hec determinatio 'in *a*' potest determinare hoc verbum 'contingit'. Et sic est vera et probata. Et est sensus: 'quicquid contingat in *a* Deus erit'. Vel hoc verbum 'est'. Et sic est falsa et improbata. Et est sensus: Deus erit in *a* quicquid contingat.

6. habet] est F

7. Helena] hec F

8. est] esse F

9. quare si] si quid F

XII DE SOPHISMATIBUS

CIRCA HOC SIGNUM 'OMNIS' INCIDENTIBUS

395 Dicitur communiter quod

signum 'omnis' additum termino communi potest ipsum distribuere pro partibus propinquis vel remotis.

Unde queritur de hoc sophismate [50vb] OMNE ANIMAL FUT IN ARCHA NOE. *Probatio.* Homo fuit in archa Noë, capra, et sic de singulis. Ergo prima est vera. *Contra.* OMNE etc. Sortes fuit animal. Ergo Sortes fuit in archa Noë. Quod falsum est.

396 *Solutio.* Quidam dicunt quod prima est falsa et concedunt improbationem.¹

397 Alii solvunt aliter dicendo quod prima est <vera> simpliciter, in <im>probatione vero est fallacia figure dictionis. Hoc enim verbum 'fuit' non distribuitur pro quolibet tempore preterito, sumitur autem ac si pro quolibet distribueret. Et sic fit processus ab immobili ad mobilem.

398 Solvitur melius dicendo quod prima est duplex ex eo quod iste terminus 'animal' potest distribui pro partibus <propinquis> sive remotis. Primo modo vera est, secundo modo falsa.

399 Similiter est hic: OMNIS ANIMA EST IN TE. *Probatio.* Anima vegetabilis sensibilis rationalis est in te. Que non sunt plures. Ergo omnis anima est in te. Ergo prima vera. *Contra.* OMNIS etc. Anima Sortis est anima. Ergo anima Sortis est in te.

400 *Solutio* omnino eadem ut in priori,² et eodem modo vera et eodem modo falsa.

401 OMNES PARTES ORATIONIS SUNT OCTO. *Probetur et improbetur.* Et solvitur omnino ut prius.

402 OMNE COLORATUM EST, posito quod unum album sit et unum nigrum et unum medium. *Probatio.* Album est; nigrum est; medium est. Ergo etc. *Contra.* OMNE COLORATUM EST. Ergo omne album est, quia omne album est coloratum. Sed hec est falsa: 'omne album est', quia non est nisi unum album. Similiter potest dici de nigro et medio.

1. improbationem] F dicendum add. F

2. priori] primo F

403 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod potest fieri distributio pro partibus propinquis vel remotis. Si pro partibus propinquis, vera est et probata. Et est sensus: omne coloratum est, idest album est, nigrum est, medium est. Ergo *etc.* Et sic probatur. Si pro partibus remotis, sic est falsa. Et est sensus: omne album, omne nigrum, omne medium est.

404 Similiter ista OMNE ANIMAL INCIPIT³ CURRERE distinguitur; et potest esse distributio pro partibus propinquis vel remotis.

3. incipit currere] *F* currit in tabula fol. 52ra in *F*

XIII DE SOPHISMATIBUS
CIRCA DICTIONES SPECIALES INCIDENTIBUS

XIII,1 De dictione exceptiva

405 Notandum est quod

hec dictio 'preter' quandoque tenetur diminutive, quandoque exceptive.

Diminutive tenetur quando diminuit, exceptive quando extrahit partem a toto, non absolute sed in comparatione ad predicatum.

406 Secundum hoc queritur de hoc sophismate: DECEM PRETER QUINQUE SUNT <QUINQUE>. *Probatio.* Decem sunt quinque. Hec est falsa. Et non est instantia nisi in quinque. Ergo, facta exceptione pro illis, erit verum. *Contra.* DECEM PRETER QUINQUE NON SUNT QUINQUE. Ergo non sunt quinque. Sicut: 'omnis homo preter Sortem currit; ergo Sortes non <currit>'.¹

407 *Solutio.* Dicunt quidam quod prima est falsa. Ad probationem respondent per interemptionem, huius enim: 'non est instantia nisi in quinque'. Falsa¹ est: est enim instantia in multis.

408 Alii dicunt quod prima est vera. Ad improbationem respondent dicendo quod partes deberent extrahi eo modo a toto quo prius continebantur sub ipso. In hoc autem quod est 'decem' supponuntur partes coniunctim. Et ideo deberent extrahi coniunctim. Ergo quinque cum aliis quinque non sunt quinque.

409 Alii dicunt quod prima est simpliciter vera et improbatio peccat secundum fallaciam accidentis. Potest² enim duobus modis esse³ falsitas. Uno modo quia predicatum bene⁴ convenit parti secundum se, non tamen convenit ei ut est in suo toto. Et sic hec oratio est falsa. + [Totus Sortes potest locari in archa Noë cum pes non possit esse in ea cum Sorte]. Unde dicunt⁵ in hac oratione: DECEM etc. <quod> improbatio peccat secundum accidens, quia esse quinque ≠ quia quinque sunt sub forma totius.

1. falsa est] fallacia *F*

2. potest] pars *F*

3. esse] erit *F*

4. bene] non *F*

5. dicunt] dico *F*

410 [51ra] Solvendum est autem, et melius, dicendo quod prima est duplex ex eo quod hec dictio 'preter' potest teneri diminutive vel exceptive. Si exceptive, sic est falsa et improbata. Et est sensus: 'decem preter quinque <sunt quinque>', idest: quinque sunt et non sunt quinque decem. Si diminutive, sic est vera et probata. Et est sensus: decem remotis quinque sunt quinque.

411 Notandum quod

hec dictio 'preter' facit quandoque exceptionem suam a parte subiecti vel a parte predicati.

Per hoc solvitur hoc sophisma. Sint tantum decem homines; quorum novem sciunt se esse albos tantum, decimus nichil sciat de se. Inde sic: DECEM PRETER UNUM SCIUNT SE ESSE ALBA. *Probatio.* Decem sciunt se esse alba. Hec est falsa. Et non est instantia nisi pro uno. Ergo, facta exceptione pro illo, hec erit vera. Ergo prima vera. *Contra.* Hoc relativum 'se' est relativum identitatis et refertur ad hunc terminum 'decem' cum exceptione vel sine. Si primo modo, sic est falsa. Est enim sensus: decem preter unum sciunt se novem esse alba. Si secundo modo, sic iterum falsa. Est enim sensus: decem sciunt se esse alba.

412 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod hec dictio 'preter' potest facere exceptionem suam a predicato vel a subiecto. Si a predicato, sic vera est et probata. Si secundo <modo>, falsa et improbata. Si a predicato, sensus est DECEM *etc.*, idest decem sciunt novem esse alba.

414 Similiter est hic. Sint multi homines; quorum quidam sint ceci, quidam videntes; videntes videant Brunellum. Inde sic: NULLUS HOMO VIDET ASINUM NISI BRUNELLUM. *Probatio.* Nullus homo videt asinum. Hec est falsa. Et non est falsa nisi in Brunello. Ergo, facta exceptione pro illo, erit vera. *Contra.* NULLUS HOMO *etc.* Ergo cecus homo non videt asinum nisi Brunellum. Ergo cecus homo videt Brunellum.

415 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod dictio 'preter' potest facere exceptionem a parte predicati; et sic est falsa et improbata quia tunc, ut dicunt, dictio posita in subiecto non immobilitatur ab exceptione posita in predicato, et licet tunc facere descensum pro qualibet parte eius. Si a parte subiecti, sic est vera et probata.

416 Aliter dicitur quod prima est vera simpliciter et in <im>probatione est fallacia consequentis. Prime enim sensus est: nullus homo videt alium asinum a

Brunello et homo videt Brunellum. Sed non sequitur: 'homo videt Brunellum; ergo homo cecus videt Brunellum', immo fit processus ab inferiori ad superius negando.

417 Similiter est hic: NICHIL EST VERUM NISI IN HOC INSTANTI. *Probatio.* Quicquid est verum, verum est in hoc instanti. Ergo prima vera + [et hic simile quilibet homo est animal ergo nichil est homo nisi sit animal.] *Contra.* NICHIL etc. Ergo Sortem esse asinum <non> est verum nisi in hoc instanti. Ergo Sortes est asinus in hoc instanti.

418 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod 'nisi' potest teneri exceptive vel consecutive. Si consecutive, sic adhuc est duplex ex eo <quod> potest teneri consecutive simpliciter vel ut nunc. Si primo modo, sic est vera. Est enim sensus: si aliquid non est verum in hoc instanti, non est verum. Est enim falsa: 'cras erunt aliqua vera que non sunt nunc vera'. Si consecutive ut nunc, prima est vera et probata. Et est sensus: si aliquid non est verum in hoc instanti, nichil est verum [51rb] [nunc] ut nunc. Et item secundum⁶ quod tenetur exceptive et est sensus: nichil est verum in⁷ alio instanti ab⁸ hoc, sed in hoc instanti aliquid est⁹ <verum>, iterum sic est vera. (Eodem modo hec est duplex: '<verum est> Sortem non esse asinum nisi in hoc instanti'.) Si enim consecutive simpliciter teneatur, sic est vera; et sic sequitur ex prima. Si consecutive ut nunc vel exceptive, est falsa. Et sic non sequitur ex prima, quia prima est vera, immo est ibi *consequens*. Prime enim sensus est secundum quod vera <est>: nichil est verum in alio instanti ab hoc, sed in hoc aliquid est verum. Sed non sequitur: 'in hoc instanti aliquid est verum; ergo in hoc instanti Sortem esse [verum] asinum est verum'; immo *consequens*.

419 Potest dici melius quod, sicut argumentum non valet: 'nichil est verum nisi in hoc instanti; ergo te esse asinum non est verum nisi in hoc instanti; ergo tu es asinus in hoc instanti', quia non sequitur: 'si tu curris, tu moveris; tu moveris; ergo tu curris', - similiter non sequitur: 'te esse asinum non est verum nisi in hoc instanti; ergo tu es asinus in hoc instanti' [nisi in hoc instanti].

6. secundum] sed F

7. in] ab F

8. ab] F^c in F

9. est <verum>] adest F

XIII,2 De dictione exclusiva

420 Sequitur de hac dictione exclusiva¹⁰ 'tantum'. De qua talis datur regula, quia

omnis propositio est multiplex in qua ponitur hec dictio 'tantum' ex parte subiecti, ex eo quod potest fieri exclusio a toto dicto vel a parte dicti.

421 Secundum hoc solvitur hoc sophisma: TANTUM DEUM ESSE DEUM EST NECESSARIUM. *Probatio.* Deum esse Deum est necessarium. <Et nichil aliud a Deo esse Deum est necessarium. Ergo prima est vera. *Contra.* TANTUM DEUM etc. > Non ergo hominem esse animal est necessarium.

422 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod potest fieri exclusio ab illo totali dicto *tantum Deum esse* <*Deum*>; et sic est falsa et improbata; tunc enim sequitur quod hoc dictum est necessarium, nichil aliud. Vel a parte dicti. Et sic est vera et probata. Est enim sensus *Deum* <*tantum*> *esse Deum est necessarium.*

423 Similiter est hic: TANTUM ILLUD QUOD EST HOMO ESSE HOMINEM EST NECESSARIUM. *Probatio.* Illud¹¹ quod est homo esse hominem est verum. <Et nichil aliud quam hominem esse hominem est verum.> Ergo prima est vera. *Contra.* TANTUM ILLUD etc. Non ergo illud quod est asinus esse asinum est verum.

424 *Solutio.* Prima est duplex ex eo quod potest fieri exclusio respectu huius dicti totalis *illud quod est homo esse hominem*; et sic est falsa. Vel respectu partis huius *illud quod est homo*. Et sic est vera.

425 Item. Adhuc est duplex ex eo quod implicatio potest cadere sub potestate, sive sub eo quod potest esse potestas, exclusionis; et sic est vera et probata. *Esse enim illud quod est homo* et *homo*¹² convertuntur. Vel ex eo quod implicatio potest cadere extra potestatem, sive ex eo quod potest cadere + implicatio potestatis. Et tunc implicatio supponit pro eo quod est nunc. Et tunc verbum¹³ implicationis <non> copulat presens nisi¹⁴ cum eo, cum tunc non ampliatur a modo, cum non cadat sub ipso. Et [illo] tunc est falsa et improbata.

10. exclusiva] exceptiva F

11. illud] id F

12. homo] hominem F

13. verbum] verbis F

14. nisi] nec F

XIII,3 De hac coniunctione 'si'

426 Sequitur de hac coniunctione 'et'.¹⁵ De cuius significatione inquirendum est. Sciendum est quod

hec dictio 'et' significat copulationem sed diversimode, quia quando <que> notat copulari aliqua ex quibus fit unum, aliquando non.

Cum enim dicitur: 'anima et¹⁶ corpus sunt unus homo', hic copulat aliqua duo ex quibus fit unum, <ubi> semper potest teneri unitative, quia duo unit simpliciter¹⁷ tota. Duo autem copulat ex quibus non fit unum simpliciter, ut¹⁸ cum dicitur: 'Sortes et Plato disputa <n>'. Et sic potest tripliciter¹⁹ copulare, ut dicit²⁰ Priscianus: aut substantias respectu eiusdem actus, ut hic: 'Sortes et Plato currunt', vel duos actus respectu eiusdem substantie, [51va] ut hic: 'Sortes currit et [Plato] disputat', vel diversas substantias respectu diversorum actuum, ut hic: 'Sortes currit et Plato disputat'.

427 Secundum hoc solet dici quod

quandoque potest copulare terminum termino vel propositionem²¹ propositioni.

Terminum termino a parte subiecti vel predicati, ut **QUINQUE SUNT <DUO> ET TRIA**; propositionem propositioni, ut 'quinque sunt duo et quinque sunt tria'; et sic falsa.

428 Sciendum quod hec dictio '<et>' quocumque modo sumatur, talia debet copulare que secundum se sunt diversa. Nam si copulet eadem, incongrua est talis locutio, ut cum dicitur 'Sortes et Sortes'.

429 Queritur utrum hec sit incongrua: **SORTES ET MANUS SORTIS SUNT**. Et videtur quod hec sit incongrua, quia pars et totum non sunt diversa; ergo non copulantur diversa. Item: per 'Sortem' habetur manus Sortis. Sed cum postea assumitur, est inutilis repetitio eiusdem. Unde est nugatio; et idem est ac si diceretur 'manus Sortis et manus'. Et sic est incongrua locutio.

15. et] est F

16. et corpus] *F^c om. F*

17. simpliciter] similiter F

18. ut] unde F

19. tripliciter] transitive F

20. vide infra ad III 82

21. propositionem propositioni] dictionem dictioni F

430 Si hoc concedatur, *contra*. Diversitas enim attenditur respectu perficientium substantiam non ratione materie sed ratione forme. Et quamvis identitas + in forma, tamen potest esse bona copulatio, quamvis idemtitas sit in materia. Ergo cum diversitas sit in forma, hec est congrua: 'Sortes et sua manus sunt'.

431 Notandum quod

terminus 'omnis' non distribuit pro eis que sunt actu sed pro <eis> que sunt actu sub termino.

Non differt autem in permanentibus *esse actu* et *esse sub termino*. Quicquid enim est homo, est actu homo. In successivis vero differt, quia tempus successivum est et in ipso differt 'esse²² tempus' et 'esse actu tempus' <est> enim tempus in actu tempus, non tamen est actu.

[432 Secundum hoc solvitur hoc sophisma: OMNE TEMPUS EST. *Probatio*. Eius contradictoria est falsa. Ergo prima est vera. *Contra*. Preteritum et futurum est tempus. Ergo preteritum et futurum est.

433 *Solutio*. Prima <est> falsa. Iste terminus 'tempus' non distribuitur solum pro temporibus que sunt actu sed pro temporibus eis que sunt actu tempora sive que sunt actu sub hoc termino 'tempus'. Ad <im> probationem solvendum est per interemptionem.

434 Posset tamen dici quod prima est vera. Omnes enim naturales partes temporis sunt et futurum antecedunt tempus. Et sic sub futuritione vel preteritione.]

XIII,4 De hiis dictionibus 'equaliter' et 'inequaliter'

435 Notandum quod

'equaliter' et 'inequaliter' quandoque tenentur qualitative, quandoque quantitative.

Quando tenentur qualitative dicunt excessionem. Unde albedo equi uno modo maior est quam albedo margarite, alio modo maior sive minor secundum suam qualitatem. <Si primo modo>, sic est vera et est sensus: 'albedo equi extensa est super maius subiectum quam albedo margarite'. Econverso verum est: 'albedo margarite est

22. esse] omne F

maior ista'. Eodem modo duplex: 'os est magis album quam margarita', et eodem modo vera et falsa.

436 Et secundum hoc solvitur hoc sophisma. Sit *a* approximatio tui ad Romam, *b* distantia; *c* sit approximatio tui ad parietem, *d* distantia. Inde sic: TU EQUALITER DISTAS A ROMA ET AB HOC PARIETE. *Probatio* patet. *Contra*. *A* et *b* sunt equalia, *c* et *d* sunt equalia. Sed *b* est maius *d*. Ergo *a* est maius *c*. Ergo tu es magis approximatus Rome quam parieti.

437 *Solutio*. Prima est duplex ex eo quod ista dictio 'equaliter' potest sumi qualitative vel quantitative. Si quantitative, sic est sensus: spatium per quod tu³⁵ distas a Roma et per quod tu approximas Rome sunt equalia. Et sic est vera. Si qualitative, sic est falsa et est sensus: approximatio tui ad Romam et distantia equaliter intenditur. Hoc est falsum. Plus enim intenditur distantia tui ad Romam quam approximatio, si recedis a Roma; si autem accedis, e converso.

438 Similiter est hec duplex: '*b* est maius *d*', et eodem modo [51vb] est vera et falsa. Si enim 'maius' dicat extensionem quantitatis, sic est vera et sic sequitur ex primis. Est enim sensus: tu distas per maius spatium a Rome quam a pariete. Si vero teneatur qualitative, sic est falsa. Est enim sensus: approximatio tui ad Romam est maior quam approximatio tui ad parietem. Et sic non sequitur ex primis secundum quod sunt vere, immo tunc sequitur contrarium. Debet enim sic inferre: *a* et *a* sunt equalia; *c* et *d* sunt equalia. Sed *b* est maius *d*. Ergo *c* est maius *a*. Sicut enim ad intensionem nigredinis tui sequitur remotio albedinis in eodem, (quanto enim aliquo maius est de albedine, tanto in ipso minus est de negritudine), sic ad intensionem distantie sequitur remotio approximationis. Sequitur ergo 'distantia tui maior est a Roma quam distantia tui a pariete; ergo approximatio tui ad parietem maior est quam approximatio tui ad Romam'.

List of sophisms found at ff. 51vb-52ra

- (1) Impossibile est aliud quam asinum genuisse te
- (2) Impossibile est te scire plura quam scis
- (3) Impossibile est Antichristum esse hominem, si non est animal
- (4) Possibile est omnem hominem differre ab Antichristo
- (5) Possibile est omne animal esse omnem hominem
- (6) Impossibile est Antichristum esse hominem qui est
- (7) Nullum hominem esse est necessarium
- (8) Sortes potest esse alteriusmodi quam sit Plato
- (9) Sortes decipitur nisi ipse decipiatur
- (10) Sortes desinit scire plura quam <scit>¹ Plato
- (11) Infinita sunt finita
- (12) Tu es asinus
- (13) Ab utroque istorum enuntiatum est verum
- (14) Cuiuslibet hominis asinus currit
- (15) Nullum² caput habens est aliquid caput habens
- (16) Nichil videns est aliquid videns
- (17) Nullum hominem videns est aliquem hominem videns
- (18) Sibi soli aliquid est idem
- (19) Omnem hominem videns est unum solum hominem videns
- (20) Omnis homo est et ille est aliquis homo
- (21) Neutrum oculum habendo tu potes videre
- (22) Deus erit in quolibet instanti non existens
- (23) Qualislibet homo currit
- (24) Quotiescumque fuisti Parisius, fuisti homo
- (25) Quicquid auditur a Platone, profertur a Sorte
- (26) Sortes desinit scire se nichil desinere scire
- (27) Sortes est aliud animal a Brunello
- (28) Omnis homo est omnis homo
- (29) Nichil nichil est

1. *seclusi*.

2. In our text 16 precedes 15.

- (30) *Omne enuntiabile dicitur a Sorte in a vel in b*
 (31) *Tu es quilibet vel differens a quolibet*
 (32) *Totus Sortes est minor Sorte*
 (33) *Omnis homo preter istos fert lapidem*
 (34) *Tantum ea que non sunt homines sunt animalia*
 (35) *Sortes videt contingenter istos*
 (36) *Quicumque habet filium, diligit illum*
 (37) *Omnis homo et quilibet differens ab illo est <non>³ homo*
 (38) *Omnis homo <videt se tantum>⁴ et quilibet videns illum est asinus*
 (39) *Omnis homo est et si ille est Sortes tu es capra*
 (40) *Omnis fenix est*
 (41) *Impossibile potest esse verum*
 (42) *Deus scit quicquid ipse scivit*
 (43) *Quodlibet qualelibet scit se esse tale quale ipsum est*
 (44) *Tu scis an omnis homo sit Sortes an differat ab illo*
 (45) *Tu scis an de mentiente sit falsum Sortem esse illum⁵*
 (46) *Sortes desinit esse albus hominum*
 (47) *Possibile est Sortem videre tantum omnem hominem non videntem se*
 (48) *Tu tantum non es asinus*
 (49) *Sortes est id preter quod nichil est homo*
 (50) *Solus Sortes scit septem artes*
 (51) *Sortes desinit scire quicquid ipse scit*
 (52) *Sortes incipit videre omnem hominem*
 (53) *Omne animal incipit esse homo*
 (54) *Ista desinunt esse talia qualia ipsa sunt*
 (55) *Duo patres et duo filii sunt tria et non plura*
 (56) *Solus Sortes scit quod alius a Platone ignorat*
 (57) *Omnis homo et omnis asinus ferunt lapidem preter Sortem et Brunellum*
 (58) *Plura sciuntur a Sorte quam a solo Sorte*
 (59) *Isti tres homines preter quemlibet istorum sunt duo*

3. <non>] *om.F*

4. <videt se tantum>] *om.F*

5. The list next has our nr 86 and 46-85 refers to the numbers - being added at the end ("preponenda sunt in fine" (!)).

- (60) Quolibet homine excepto quilibet homo videt alium
- (61) Omne enuntiabile preter verum est falsum
- (62) A solo Deo scitur quicquid est verum
- (63) A solo Sorte differt quicquid non est Sortes vel pars Sortis
- (64) Sortes videbit istos similes
- (65) Sortes videbit alba
- (66) Sortes desinit esse alter istorum
- (67) Sortes incipit esse alter istorum
- (68) Homo est pars hominis
- (69) Si tantum pater est, non tantum pater est
- (70) Si nullum tempus est, aliquod tempus est
- (71) Quicquid est hicintus est animal
- (72) Aliqua in eo quod conveniunt differunt
- (73) Aliqua in eo quod sunt equivoca, sunt univoca
- (74) Si tu es ubique, tu non es ubique
- (75) Si tu scis te esse lapidem, tu nescis te esse lapidem
- (76) Quanto aliquid maius est, tanto minus videtur
- (77) Quanto plus addiscis, tanto minus scis
- (78) Quanto plus esuris, tanto plus satiaris
- (79) Omnis homo preter Sortem excipitur
- (80) Album fuit disputaturum
- (81) Maior maiore Marco erit Marcus
- (82) Sortes vult *a* esse tale quale est *b*
- (83) Omnis homo est unus solus homo
- (84) Omnis homo est aliquis homo
- (85) Omnis homo habet unum solum caput
- (86)⁶ Tantum unum est
- (87) Tantum alter istorum est
- (88) Si tantum alter istorum est, non tantum alter istorum est
- (89) Omnis homo videt illud quod ipse videt
- (90) Omnis homo qui currit movetur
- (91) Omne falsum quod est impossibile opponitur vero

- (92) Ti scis causam qua non es homo
- (93) Solus Sortes est albus quo Plato est albior
- (94) Aliqua sunt que nulla sunt que necessaria sunt
- (95) Omnis homo videt se
- (96) Omnis homo differt a quolibet homine preterquam ab illo
- (97) Solus Sortes videt se
- (98) Omne animal quod et Sortes sunt duo, differunt
- (99) Ad quodlibet⁷ enuntiabile sequitur ipsum esse verum si ipsum est verum
- (100) Qualecumque est aliquid: si ipsum est album, tale est aliquid si ipsum est nigrum
- (101) Ubi cumque est aliquid: si ipsum est Rome, ibidem est existens aliquid si ipsum est Parisius
- (102) Decem preter unum sciunt se esse novem
- (103) Nullus homo potest scire quod aliquis homo potest scire
- (104) Sola duo sunt pauciora solis tribus
- (105) Sola assumptio precedit solam conclusionem
- (106) Sortes bis videt omnem hominem preter Platonem
- (107) Omnis homo est animal et e converso
- (108) Omnis homo et alius homo sunt
- (109) Sortes desinit scire plura quam desinat scire
- (110) Solus Sortes et duo sunt tria
- (111) Solius binarii pars est unitas et nullus numerus
- (112) [52a] Omnis homo necessario est iusta
- (113) Omnis homo de necessitate est animal
- (114) Alterum istorum necessario est verum
- (115) Anima Antichristi necessario erit
- (116) Sola necessaria necessario sunt vera
- (117) Sola contingentia esse vera est verum⁸ contingens
- (118) Quod ab aliquo enuntiatur a nullo vere dicitur
- (119) Si Sortes necessario est mortalis, Sortes necessario est immortalis
- (120) Nullus homo legit Parisius nisi ipse sit asinus

7. ad quodlibet] aliquod F

8. verum] actum (I)F

- (121) Omnis homo est asinus⁹ nisi ipse sit eger
- (122) Nullus homo est, si aliquis homo est
- (123) Utrumque istorum est verum si reliquum est falsum
- (124) Nullo homine currente te es asinus
- (125) A nullo enuntiatum a nullo vere dicitur
- (126) Falsum verum est si Antichristus est
- (127) Sortes dicit solum Platonem loqui
- (128) Album est nigrum, si Sortes est niger
- [(129) is missing]
- (130) Sortes desinit esse ante mortem Platonis
- (131) Sortes desinit esse non desinendo esse
- (132) Helena peperit decies decem filios
- (133) Deus erit in *a* si *a* non erit
- (134) Deus est in *a* quicquid contingat
- (135) Omne animal fuit in archa Noë
- (136) Omnis anima est in te
- (137) Omnes partes orationis sunt octo
- (138) Omne coloratum est
- (139) Omne animal currit
- (140) Decem preter quinque sunt quinque¹⁰

9. asinus] (I)F

10. Ista sophismata usque ad finem ponantur ad hoc signum "+" add. F (this sign is actually found at nr 86; see above).

TRACTATUS VATICANUS

DE COMMUNIBUS DISTINCTIONIBUS

ARGUMENTUM

- I De exclusione generali vel speciali
- II De processu ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva
- III De quadam alia regula dictionis exclusive
- IV De exclusione facta respectu materie vel forme vel utriusque
- V De exclusione adiuncta propositioni modali
- VI De duobus sincategorematibus in eadem locutione positis
- VII De disiunctiva et copulativa coniunctionibus
- VIII De diversa relatione et diversa demonstratione
- IX De processu a pluribus determinatis ad unam determinatam
- X De illatione facta a suppositione immobili
- XI Utrum ex impossibili sequatur quidlibet
- XII Quod aliqua locutio potest intelligi de re vel de dicto
- XIII Utrum li 'omnis' exigit multitudinem actualem

Legendum

V = Vaticanus 7678

b = Braakhuis in fragmentis a se allegatis

] = scripsi (scripsit)

< ... > = supplevi

[...] = seclusi

+ = locus sane corruptus vel perdifficilis lectu

DE COMMUNIBUS DISTINCTIONIBUS

Hic incipiunt communes obiectiones et responsiones

DE PRIMA DISTINCTIONE

De exlusione generali vel speciali

1 Queritur de hoc quod solet dici communiter quod

hec dictio 'tantum' sive hec dictio 'solus' quandoque faciunt generalem exclusionem, quandoque specialem.

Quando autem faciunt generalem exclusionem, tunc excluduntur omnia alia a subiecto et respectu predicatorum. Ut cum dicitur: TANTUM HOMO CURRIT faciendo generalem exclusionem, sensus est: *homo currit et nichil aliud quam homo currit*. Quando autem faciunt specialem¹ exclusionem, tunc excluduntur opposita collateralia, et secundum hoc talis est sensus: 'tantum homo currit', idest: *homo currit et non equus et non leo*, et sic de aliis que continentur sub hoc genere animal.

2 Sed quod ista distinctio nulla sit videtur. Non dicitur divisio fieri² inter quemcumque sed solum inter ea que habent oppositionem, et non inter ea que se habent sicut inferius et superius; unde non debet fieri divisio inter *hominem* et *animal*. Unde non sic dicendum est 'aut tu es homo aut animal', sed semper facienda est divisio inter opposita, sic: 'aut tu es homo aut tu es asinus'. Quod³ generale et speciale se habent sicut inferius et superius, istud patet, quia ad positionem specialis sequitur positio generalis et ad remotionem generalis sequitur remotio specialis; iste autem sunt conditiones inferioris et superioris. Secundum hoc videtur quod inter generale et speciale non est facienda divisio. Cum ergo omnis distinctio sit divisio, videtur quod nulla sit distinctio quod quandoque posset fieri exclusio generalis quandoque specialis, cum exclusionem generalem sequatur exclusio specialis.

1. specialem] b generalem V

2. fieri] V^c om. V

3. quod] b cum V

3 Item. Videtur quod semper debeat fieri exclusio generalis et numquam specialis. Hec enim dictio 'tantum' sive hec dictio 'solus' idem est quod: *non cum alio*; hoc habetur ab Aristotile in libro *Elencorum*.⁴ Sed, cum dicitur 'non cum alio', ibi est terminus communis et preter hoc ibi est negatio. Sed sic est <quod> quando negatio precedit terminum communem non prius confusum per aliud, confundit ipsum terminum pro quolibet suo supposito. Ergo cum dicitur 'homo currit non cum alio', hec dictio 'non' confundit hunc terminum 'alio' pro quolibet. Unde sensus est 'homo currit non cum alio', idest: *homo currit cum nulla alia re*. Sed hic fit generalis exclusio. Ergo videtur quod hec dictio 'tantum' faciat generalem exclusionem et numquam specialem.

4 Item:

Dictio exclusiva adiuncta alicui excludit oppositum.

Queritur ergo utrum excludit oppositum inquantum oppositum vel id quod est oppositum. Si dicatur quod excludit id quod est oppositum, hoc videtur esse falsum. Quia secundum hoc, Sorte⁵ existente et Platone non existente, non sequitur: *tantum Sortes currit; ergo id quod est Plato non currit*; implicatur enim in hac 'id quod est <Plato>', cum Plato non sit, Platonem esse. Et videtur quod non sequatur ex falsa, quia prima⁶ potest esse vera,⁷ conclusione existente falsa. Contingente enim quod⁸ Sortes sit et quod Sortes currat solummodo, hec enim est vera: 'tantum Sortes currit'; tamen hec est falsa: 'Plato non currit'. Et hoc est causa⁹ implicationis.

5 Restat ergo, quoniam non excludit id quod est oppositum, ergo excludit oppositum inquantum est oppositum. ~~Et~~ si hoc, quod¹⁰ magis est oppositum, magis debet excludere. Et quod ista argumentatio valeat videtur, quoniam si album inquantum album disgregat, ergo quod magis est album magis disgregat. Sed cum dicitur 'tantum iste homo currit', in omni sensu excluditur Plato, et alia individua. Cum ergo bos et asinus et inanimata magis sunt opposita ei quod est Sortes quam Plato vel Virgilius: si ista excluduntur ab eo quod est Sortes, fortiori ratione

4. *Soph. El.* 22, 178a39-b1

5. Sorte] b scientie V

6. prima] post V

7. vera] natura V

8. quod] per V

9. causa = 'because of'

10. quod] b per V

excluduntur alia omnia opposita [73^{rb}] a Sorte et respectu predicati. Et ita fiet exclusio omnium aliorum a Sorte et respectu predicati. Et secundum hoc videtur quod semper debeat fieri exclusio generalis et numquam specialis.

6 Sed videtur quod semper debeat fieri exclusio specialis¹¹ et numquam generalis. Cum enim dicitur 'tantum Sortes currit', sensus est: *Sortes non cum alio currit*. Hec autem dictio 'alio' est dictio adiectiva. Ergo est infinita respectu substantie sui substantivi quantum est de se. Vult ergo finiri per ali<qu>am substantiam. Non per quamcumque, sed per aliquam substantiam significatam per aliquam¹² positam¹³ in sermone isto. Non <igitur> nisi per significationem huius dictionis 'Sortes'. Et non secundum quod nominatur per totale nomen, sed secundum quod nominatur per nomen speciei, videlicet per hoc nomen speciei 'homo'. Sic ergo cum dicitur 'tantum Sortes currit', sic debet exponi: *Sortes non cum alio homine currit*. Sed in hac 'Sortes non cum alio currit' fit exceptio sive remotio particularium hominum aliorum a Sorte. Et ita est exclusio specialis et non generalis. Et ita videtur quod semper debeat fieri exclusio specialis.

7 Item. Cum omnis duplicitas faciat aliquam fallaciam in dictione,¹⁴ queratur ergo utrum ista duplicitas faciat equivocationem, vel amphiboliam, et sic de aliis que in dictione sunt. Non autem equivocationem, quia ubi¹⁵ est equivocatio, oportet quod ibi sit aliqua dictio plura significans vel consignificans. Sed cum dicitur 'tantum Sortes currit', hec dictio 'tantum' non significat plura vel consignificat. Ergo non est ibi <equivocatio. Nec est ibi> amphibolia, cum non sit ibi diversa ratio construendi. Nec est ibi accentus, cum non sit aliqua dictio que posset accentuari. Nec est ibi fallacia figure dictionis, cum ibi non commutetur unum predicamentum in aliud vel una species unius predicamenti in aliam speciem eiusdem. Restat ergo quod ista diversitas operetur fallaciam compositionis et divisionis. Et istud dicitur communiter.

8 Sed contra. Illa oratio que [est] secundum eundem modum proferendi plura significat, operatur actuale¹⁶ multiplex et non potentiale.¹⁷ Sed illa oratio in qua

11. specialis] V^c generalis V

12. aliquam] V aliquod b

13. positam] positum Vb

14. in dictione] inde b ind. (//) V

15. ubi] V^c non V

16. actuale multiplex] V actuale <m> multiplicitatem sic semper b

potest fieri exclusio generalis vel specialis, secundum eundem modum proferendi plura significat. Ergo operatur <actuale> multiplex, et non potentiale. Quod autem locutio exclusiva, in qua potest fieri exclusio generalis vel specialis, secundum eundem modum proferendi plura significat patet. Cum enim dicitur: 'tantum Sortes currit', eadem sunt determinata et eedem determinationes secundum quod fit exclusio generalis et specialis. Et ita videtur quod talis duplicitas potius faciat actuale multiplex quam potentiale. Cum ergo fallacia compositionis et divisionis operetur potentiale multiplex, videtur quod predicta multiplicitas non operetur fallaciam compositionis et divisionis.

9 *Solutio*. Dicendum quod bona est distinctio, scilicet quod quandoque potest fieri exclusio generalis, quandoque specialis. Ad illud¹⁸ autem quod primo obicitur quod non est bona distinctio eoquod ad generalem exclusionem sequitur exclusio specialis, dicendum quod sic debet intelligi predicta distinctio, scilicet quod quandoque potest exclusio fieri generalis per se, quandoque specialis per se; et ad exclusionem per se generalem non sequitur exclusio specialis per se, licet autem ad¹⁹ exclusionem generalem sequatur exclusio specialis, sed²⁰ hoc est secundum accidens. Unde ad exclusionem generalem [non sequitur exclusio specialis per se, licet ad exclusionem generalem sequatur exclusio specialis et hoc est secundum accidens unde ad exclusionem generalem]²¹ per se non sequitur specialis exclusio per se. Et sic sumpta generalis et specialis habent inter se oppositionem. Et sic potest inter eas fieri divisio sive distinctio.

10 Ad secundum dicendum quod 'tantum' idem est quod: *non cum alio*. Hec [73va] dictio autem 'alio' potest esse dictio adiectiva vel dictio substantiva <ta> in neutro genere. Si autem sit dictio adiectiva, tunc fit exclusio specialis. Si autem sit dictio substantiva <ta>, tunc fit exclusio generalis; et est sensus 'tantum Sortes currit', idest: *Sortes currit non cum*²² *alia re*.

11 Ad aliud quod queritur utrum hec dictio 'tantum' vel hec dictio 'solus'

17. potentiale] V potentiale <m> sic semper b

18. illud] b aliud V

19. autem ad] autem V ad b

20. sed] et V

21. [non sequitur ... generalem] exclusi

22. cum] b est V

excludat id quod est oppositum aut oppositum <inquantum²³ oppositum>, dicendum quod excludit oppositum inquantum oppositum, respectu quod non fiat vis in illa reduplicatione. Unde non oportet quod excludat id quod magis est oppositum, sed excludit oppositum in ratione oppositi; et quia oppositum poterit esse generale vel speciale, propter hoc poterit esse generalis exclusio vel specialis.

12 Ad aliud quod quarto queritur semper debet fieri exclusio specialis, solutio patet per predicta. Cum enim dicitur 'Sortes non cum alio currit', hec dictio 'alio', ut dictum est, potest esse adiectivum et masculinum generis, et secundum hoc est infinita respectu substantie sui substantivi; unde illa propositio habet resoluti:²⁴ *Sortes non cum alio homine currit*; et sic fit exclusio specialis. Vel²⁵ potest dici quod illa dictio sit substantivata in neutro genere et sic non sit adiectiva neque infinita respectu substantie precedentis sed finietur per subiectum huius termini 'res'. Unde secundum hoc sensus est 'Sortes non cum alio currit', idest: *Sortes non cum alia re currit*; et sic fit exclusio generalis.

13 Ad istud quod ultimo queritur quam fallaciam operetur hec multiplicitas, dicendum quod non operatur fallaciam compositionis et divisionis, sicut quidam²⁶ dicunt, sed operatur fallaciam equivocationis. Quod autem primo obicitur quod dictio exclusiva non significat plura vel consignificat, dicendum quod neque dictio exclusiva est hec dictio 'alius' cum negatione. Hec autem dictio 'alius' potest dicere diversitatem in genere vel in specie, et dicitur equivoce sive multipliciter et de diversitate in genere et de diversitate in specie, sicut 'idem' dicitur multipliciter de eodem in genere et de eodem in specie. Et ita patet quomodo est ibi fallacia equivocationis.

23. inquantum oppositum] *suppl. b*

24. resoluti] *repeti Vb*

25. vel] *b unde V*

26. quidam] *b quidem V*

DE SECUNDA DISTINCTIONE

De processu ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva

14 Consequenter queritur de alia regula dictionis exclusive quia dicitur quod non tenet processus ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva, et talis processus operatur fallaciam consequentis, et hoc est propter negativas partes.

15 *Sed contra.* Videtur quod teneat processus ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva. Argumentetur enim sic: TANTUM HOMO CURRIT; 'ergo tantum animal'. In hac argumentatione proceditur ab inferiori ad superius cum exclusionem. Queratur utrum sequatur aut non. Si sequatur, habeo propositum. Si non, detur oppositum conclusionis et ducetur ad oppositum prime¹ sic: 'non tantum² animal currit; et animal currit'; hec videtur <sequi> ex hac 'tantum homo currit', quia si tantum homo currit, homo currit; et si homo currit, animal currit. Fiet ergo argumentum:

'animal currit

et non tantum animal currit

ergo aliud ab animali currit,

ergo aliud ab homine currit'.

Et si aliud ab homine currit, non tantum homo currit. Cum ergo ex opposito huius 'tantum animal currit' contingat ducere ad oppositum huius 'tantum homo currit', videtur quod de necessitate debeat sequi 'tantum homo currit; ergo tantum animal currit'. Et ita videtur quod teneat processus ab inferiori ad superius cum dictione [73vb] exclusiva.

16 Item. Si partes ad partes habeant consequentiam inter se, et tota illarum partium habebunt consequentiam inter se. Quod sic potest manifestari. Sequitur enim: 'homo currit; ergo animal currit'. Similiter sequitur: 'nichil aliud quam homo currit; ergo nichil aliud quam animal currit'. Quod iterum potest manifestari. Sequitur enim: 'si aliud ab animali currit, aliud ab homine currit; ergo (a destructione consequentis) si nichil aliud ab homine currit, nichil aliud ab animali currit'. Cum ergo partes iste consequentiam inter se habeant, tota illarum partium

1. prime] primi V

2. tantum] tamen V

consequentiam³ inter se habebunt. Sequitur ergo: 'tantum homo currit; ergo tantum animal currit'. Et si hoc, redibit idem quod prius, scilicet quod tenet processus ab inferiori ad superius cum exclusione.

17 Si⁴ autem propter hoc dicatur quod uno modo tenet processus ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva, alio modo non tenet. Tenet enim quando fit processus ab inferiori ad superius et ex eadem parte ponitur dictio exclusiva. Unde bene sequitur: 'tantum homo currit; ergo tantum animal currit'. Non tenet autem quando ex diversa parte ponitur dictio exclusiva cum inferiori et superiori. Unde non sequitur: 'tantum Sortes currit; ergo tantum Sortes movetur'. Et fallit iste processus, et tantummodo propter partes negativas. Ut⁵ non sequitur: 'nichil aliud quam Sortes currit; ergo nichil aliud quam Sortes movetur'. Et patet plane inconvenientia⁶ in terminis. Posito enim quod Sortes currat et nichil aliud, sed multa alia moveantur non currendo, hec est vera 'nichil aliud quam Sortes currit'; tamen hec est falsa 'nichil aliud quam Sortes movetur'. Propter hoc [quod] dicunt quidam quod sic debet dicta regula intelligi: quod

non tenet processus ab inferiori ad superius cum exclusione sive cum dictione exclusiva, cum dictio exclusiva ponitur ex alia parte quam inferius et superius.

18 Sed contra. Et primo queritur quare tenet processus ab inferiori ad superius cum exclusione, quando[que] ex parte superioris et inferioris ponitur dictio exclusiva, non autem tenet quando ponitur ex alia parte quam inferius et superius. Item. Videtur probari quod de necessitate est bonus processus ab inferiori ad superius cum exclusione, sive ponatur ex eadem parte sive ex alia parte ponatur cum inferiori et superiori. Istud quod est in potentia solum, non destruit illud quod est in actu. Illud manifestum est. Nigredo enim que⁷ solummodo potentialiter est in aliquo, non destruit albedinem que est actu in eodem. Cum ergo negatio sit solum <in> potentia in hac dictione 'tantum' (quod patet, cum non faciat propositionem negativam), ergo illa negatio que est solum secundum potentiam, non destruit istud quod est actualiter. Et ita de necessitate ab

3. consequentiam] convenientiam V

4. Apodosis invenitur 18 Sed contra

5. ut] b unde V

6. inconvenientia] sic b consequentia V

7. que] quod V

inferiori ad superius cum exclusione non impediatur talis processus cum negatione dictionis exclusive. Et si hoc, sequitur de necessitate ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva, sive dictio exclusiva cum inferiori et superiori ponatur ex eadem parte sive ex alia.

19 *Solutio*. Dicendum quod "non tenet processus ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva" intelligenda est sic: si ex parte alia habeat ordinari dictio exclusiva quam istud inferius et superius, ita quod dictio exclusiva ponatur ex parte subiecti, inferius autem et superius ponantur ex parte predicatorum, vel econverso. Sed si ponerentur ex eadem parte, de necessitate sequeretur ab inferiori ad superius cum exclusione, et hoc faciendo generalem exclusionem et non specialem. Et bene consentio duabus rationibus primis concludentibus hoc. Sed si ita diceretur 'tantum Sortes currit; ergo tantum Sortes movetur', non tenet iste processus ab inferiori ad superius cum exclusione. Unde fallunt propter partes negativas. Unde in talibus habet intelligi predicta regula.

20 Ad istud autem quod queritur⁸ communiter quare tenet processus cum dictione exclusiva ab inferiori ad superius quando dictio exclusiva ordinatur ex eadem parte cum illo inferiori et superiori, non autem tenet quando ordinatur ex altera, dicendum est quod hoc est <quia> quando fit processus ab inferiori ad superius cum dictione exclusiva ita quod dictio exclusiva sit ex eadem parte cum illo inferiori et superiori,⁹ proceditur ab inferiori ad superius cum duplici negatione posita circa idem; talis autem processus bonus est; quando autem proceditur ab inferiori ad superius cum exclusione ita quod ex altera parte ponatur dictio exclusiva quam istud inferius et istud superius, proceditur cum unica negatione; talis autem processus impedit <ur>¹⁰ per fallaciam consequentis.

21 Istud autem potest manifestari in terminis sic. Cum enim dicitur: 'tantum homo currit; ergo tantum animal currit', hic proceditur ab inferiori ad superius cum duplici negatione quantum ad partes negativas. Sumantur autem partes negative que tales sunt: 'nichil aliud ab homine currit'. In hac enim 'nichil aliud ab homine currit' est duplex negatio: una importata per hoc quod dico¹¹ 'nichil', alia autem per hoc quod dico¹¹ 'aliud'. Et utraque fertur ad idem. Negatio enim

8. queritur ... quare] queritur ... quod V dicitur ... quod b

9. superiori] deletit b

10. impeditur] b impedit V

11. dico] dictio V

eius quod est 'nichil' fertur ad hunc terminum 'hominem'; et hoc in comparatione ad istud. Negatio autem eius quod est 'aliud', ad hunc terminum 'hominem' <fertur> simpliciter, cum sit relativum diversitatis relatum ad ipsum antecedens. Et ita patet qualiter proceditur ab inferiori ad superius cum duplici negatione lata ad idem. Propter hoc tenet processus ab inferiori ad superius cum exclusione quando dictio exclusiva et istud superius et istud inferius ordinantur ex eadem parte. Si autem ordinantur ex parte diversa, tunc est processus ab inferiori ad superius cum unica negatione. Quod sic potest manifestari. Cum enim dicitur: 'tantum homo currit; ergo tantum homo movetur', ibi sunt duplices partes negative et affirmative. Negative sunt iste 'nichil aliud quam homo currit; ergo nichil aliud quam homo movetur'. In hac autem argumentatione proceditur ab inferiori ad superius cum unica negatione,¹² quia cum dicitur: 'nichil aliud quam homo currit', negatio eius quod est 'nichil', fertur ad hoc verbum 'currere'; negatio autem eius [74rb] quod est 'aliud', fertur solummodo ad hunc terminum 'homo' et non ad verbum.

22 *Solutio.* In hac argumentatione: 'nichil aliud quam homo <currit; ergo nichil aliud quam homo> movetur', negatio autem eius quod est 'aliud' fertur ad hunc terminum 'homo', sicut prius. Et ita patet quare in hoc argumento 'nichil aliud quam homo currit; ergo nichil aliud quam homo movetur' fit processus ab inferiori ad superius cum unica negatione. Et propter hoc non valet. Et ita patet quod tenet processus ab inferiori ad superius <cum> exclusione quando dictio exclusiva ponitur ex eadem parte in <qua> ponitur inferius et superius, et quare non tenet quando dictio exclusiva ponitur ex alia parte quam¹³ istud inferius et superius.

23 Ad ultimum dicendum quod verum est: 'quod solum est in potentia, non destruit istud quod est in actu'. Sed dicendum quod negatio non est solum in potentia in hac dictione 'tantum' sed actu. Quod obicitur <quod> secundum hoc faceret propositionem negativam, dicendum quod non valet, quia illa negatio non fertur ad principalem compositionem sed ad quandam compositionem ibi intellectam oblique. Unde sicut hec non est vera: 'Sortes qui non est sanus, est animal'

12. negatione] V quod sic potest manifestari ... ad superius cum unica negatione iteravit V quod sechusit V^c

13. quam] quod V

eoquod non negatur compositio principalis sed compositio obliqua, eodem modo dicendum est de propositione exclusiva. In illa enim fertur negatio ad compositionem obliquam et non ad principalem. Unde huius: 'tantum Sortes currit' sensus est: *Sortes currit, non currendo cum alio*.

DE TERTIA DISTINCTIONE

De quadam alia regula dictionis exclusive

24 Queritur de quadam regula dictionis exclusive qua¹ dicitur quod

dictio exclusiva adiuncta parti excludit totum, et non e converso;

similiter:

dictio exclusiva adiuncta termino numerali excludit maiorem numerum
et non minorem,

et hoc est quia minor numerus est pars integralis in maiori numero.

25 Sed contra hanc regulam obicitur sic. Videtur quod dictio exclusiva adiuncta toti² integrali debet excludere partem integram sicut e converso.³ Dictio enim exclusiva habet excludere aliud ab incluso, et hoc indifferenter: vel aliud in genere vel aliud in specie. Quod⁴ ergo pars integralis et totum integrale differunt specie, manifestum est. Manus enim Sortis et Sortes differunt, que se habent sicut totum integrale et pars. Differunt autem⁵ specie. Continetur enim manus Sortis sub alia specie quam Sortes. Sortes enim continetur sub *homine*, qui est corpus animatum; manus autem⁶ Sortis non continetur sub *homine* neque sub *corpore animato*. Videtur ergo quod manus Sortis et Sortes differunt specie. Alia enim est species corporis animati et alia est species corporis [74va] inanimati. Cum ergo Sortes et manus Sortis sint diversa, scilicet⁷ differentes specie, videtur quod⁸ dictio exclusiva adiuncta alicui possit excludere diversum in specie. Et hoc apparet, quia dictio exclusiva adiuncta toti integrali potest excludere partem, cum pars sit diversa a toto in specie, ut probatum est.

26 Item ad idem. Ea que differunt accidentaliter solummodo, licet eadem sint in substantia, bene possunt copulari adinvicem, sicut *album* et *musicum*, que differunt solum accidentaliter; et que eadem sunt in substantia, bene possunt

1. qua] b que V

2. toti] b termino V

3. e converso] b in contrario V

4. quod] quia V

5. autem] enim V

6. autem] enim V

7. scilicet] sint V

8. videtur quod] cum V

copulari adinvicem. Unde possum dicere: 'Sortes est albus et musicus.' Cum⁹ ergo totum et pars differant¹⁰ accidentaliter (universalitas enim et particularitas solum differunt accidentaliter), videtur ergo quod inter ipsa possit cadere copulativa coniunctio. Et quaecumque possunt copulari adinvicem, possunt dividi et disiungi. Quaecumque autem possunt dividi, diversa sunt adinvicem. Cum ergo totum et pars diversa sint¹¹ adinvicem, ergo totum et pars bene possunt dividi. Cum ergo dictio exclusiva habeat excludere diversum, videtur quod dictio exclusiva adiuncta toti habeat excludere partem.

27 Item. Quatuor sunt genera oppositorum. Quedam opponuntur privative, ut *cecum* <et> *videns*; quaedam contrarie, ut *album* et *nigrum*; quaedam secundum affirmationem et negationem, ut *esse* et *non esse*; quaedam relative, ut *pater* et *filius*, *totum* et *pars*. Cum ergo *totum* et *pars* opponuntur adinvicem <et> dictio exclusiva adiuncta alicui habet excludere oppositum, videtur ergo quod dictio exclusiva adiuncta toti possit excludere oppositum, scilicet partem.

28 Item. Videtur posse probari quod dictio exclusiva adiuncta alicui termino possit excludere minorem numerum sicut maiorem. Cum enim numerus habeat dividi in binarium et ternarium tamquam in species oppositas, videtur quod binarius et ternarius et etiam quaternarius sint species oppositae. Cum ergo dictio exclusiva adiuncta alicui speciali habeat excludere speciem sibi oppositam, videtur quod dictio exclusiva adiuncta ternario possit excludere binarium. Et si hoc, dictio exclusiva adiuncta alicui termino numerali poterit excludere minorem numerum sicut maiorem.

29 *Solutio*. Ad primum dicendum quod *pars* et *totum* differunt secundum esse rationis et non secundum esse nature. Non <enim>¹² habet <pars aliud>¹³ esse secundum naturam quam esse sui totius. Unde si aliquod¹⁴ predicatum vere attribuitur alicui toti cum exclusionem, non debet excludi pars illius a predicato. Unde non sequitur: TANTUM SORTES EST ALBUS, 'ergo pes Sortis non est albus,' quia ratione illius predicatorum non differunt pes Sortis et Sortes. Unde generaliter

9. cum] *V*^c om. *V*

10. differant] differunt *V*

11. sint] sunt *V*

12. enim] *b* om. *V*

13. pars aliud] *b* om. *V*

14. aliquod] *b* aliquid *V*

dicendum est quod si aliquod predicatum vere attribuitur toti cum exclusione, non debet removeri pars illius totius ab illo predicato. Et hoc est quia quicquid convenit naturaliter toti, conveniet parti. Totum autem potest excludi a parte, quando aliquod predicatum vere attribuitur parti cum exclusione. Et hoc est quoniam¹⁵ aliquod predicatum potest convenire naturaliter parti, ita quod non toti. Si autem ita contingat quod aliquod predicatum rationis alicui toti attribuitur cum [74vb] exclusione, bene potest excludi sua pars, eoquod pars et totum differunt ratione predicatorum rationis. Unde sequitur: 'tantum omnis homo est totum in quantitate; non ergo Sortes est totum in quantitate.' Patet ergo in quibus predicatis¹⁶ dictio exclusiva adiuncta toti habet excludere partem, et in quibus non.

30 Ad aliud quod obicitur <quod> sint sub diversa specie, dicendum est quod falsum est. Sed sunt sub eadem, scilicet sub *homine*, sed unum recte, alterum oblique. Sortes enim recte est sub *homine*, quia homo recte predicatur de Sorte (ut cum dicitur 'Sortes est homo'). Manus etiam Sortis est sub *homine*, sed oblique. Predicatur enim homo oblique de manu Sortis, ut cum dicitur: 'manus Sortis est manus hominis.' Patet ergo quod manus Sortis et Sortes non sunt sub diversa specie sed sub eadem.

31 Ad istud quod obicitur consequenter de musico et de albo, quod posse <n> t copulari adinvicem eoquod differunt accidentaliter, dicendum quod non est simile de albo et musico et toto et parte, eoquod musicum et album sic se habent quod neutrum addit aliquid supra reliquum, totum autem addit aliquid supra partem. Quicquid vero habet pars, habet totum et amplius. Propter hoc totum et pars non possunt copulari adinvicem nec dividi sicut album et musicum.

32 Ad aliud dicendum est quod dictio exclusiva adiuncta alicui relativo non habet excludere suum correlativum. Et hoc est quia esse <unius> relativi dependet ab esse alterius relativi. Propter hoc ergo [quia] relativa non differunt secundum se. Posito enim uno nomine et ponitur alterum, et e converso. Propter hoc dictio exclusiva adiuncta alicui relativo non excludit alterum.

33 Quod autem obicitur in contrarium quod dictio exclusiva adiuncta alicui excludit oppositum, dicimus quod intelligendum est de eis quorum esse unius non

15. quoniam] quando Vb

16. predicatis] b predicamentis V

dependet ab esse alterius, sicut de oppositis contrarie et de oppositis secundum affirmationem et negationem et de oppositis privative. Et cum in relative oppositis esse unius dependet ab esse alterius, non erit obiectio de oppositis relative.

¶ 34 Ad ultimum dicendum est quod licet numerus dividatur per binarium, ternarium et huiusmodi tamquam per oppositas species, tamen quia numerus minor < pars > materialis est ad maiorem, non habebit oppositionem cum maiori.¹⁷ Et sic de dictio exclusiva adiuncta numero alicui de necessitate ponit minorem et non excludit, cum minor sit pars maioris et integralis respectu maioris. Sed si consideratur minor numerus et maior secundum quod importantur a diversis formis, sicut binarius a binaritate et ternarius a ternaritate, sic habent oppositionem inter se et sic neutrum est pars materialis respectu alterius. Et sic dictio exclusiva adiuncta maiori numero potest excludere numerum minorem.

17. maiori] ratione V

DE QUARTA DISTINCTIONE

De exclusione facta respectu materie vel forme vel utriusque

35 Item. Solet dici pro regula quod

cum dictio exclusiva adiuncta est alicui termino habenti in se naturam substantie et accidentis, duplex est locutio, eoquod potest fieri exclusio respectu substantie, vel respectu accidentis vel forme, vel ratione utriusque.

Unde hec est duplex TANTUM HOMO ALBUS CURRIT ex eo quod potest fieri exclusio [75ra] ratione substantie vel forme vel ratione utriusque. Si autem fiat exclusio ratione substantie, tunc excluduntur opposita illius substantie. Et secundum hoc talis est sensus: 'tantum homo albus currit,' idest: *homo albus currit et non asinus*¹ *albus currit*, et sic de aliis speciebus ab homine. Si autem fiat exclusio ratione forme sive accidentis, tunc excluduntur opposita illius accidentis. Et est sensus: 'tantum homo albus currit,' idest: *homo albus currit et non homo niger currit*. Si autem fiat exclusio ratione utriusque, tunc excluduntur opposita substantie et accidentis sub hoc sensu: 'tantum homo albus currit,' idest: *non asinus niger currit, non leo niger* etc. Eodem modo est hec duplex: 'tantum album currit.' Est enim in hoc quod dico 'album' aliquid pro substantia et aliquid pro accidente. Est enim 'album' idem quod *res alba*.

36 Sed contra istam regulam sic obicitur. Videtur enim quod semper debeat fieri exclusio ratione forme inquantum huiusmodi. Et hoc manifestum est ex hoc quod exclusio est oppositio, cum exclusio fiat ratione oppositionis.² Omnis autem oppositio ratione forme <fit>, non ratione materie. Ergo omnis exclusio <fit> ratione forme.

37 Item. Quod omnis oppositio fit ratione forme videtur. *Homo* enim et *asinus* ratione suarum differentiarum, que sunt forme, habent oppositionem, scilicet ratione istarum, *rationale, irrationale*. Conveniunt autem in ipso genere, quod est materia, scilicet in *animali*. Patet ergo quod oppositio fit ratione forme et non ratione materie. Restat ergo quod omnis exclusio debeat fieri ratione forme.

1. asinus] b alius V

2. oppositionis] oppositis V

38 Hoc habito videtur quod omnis exclusio debeat fieri ratione materie et non ratione forme quia: Omne excludere est agere. Ergo omnis exclusio est actio, per locum a coniugatis. Omnis autem actio <fit> ratione materie et non ratione forme. Ergo omnis exclusio <fit> ratione materie et non ratione forme. Quod autem omnis actio fit ratione materie per auctorem *Sex Principiorum*³ habetur dicentem quod actio est quando in id quod subicitur agere dicimur; istud autem quod subicitur actioni, est materia actionis, sicut lignum est materia sectionis. Ex hoc patet quod omnis actio ratione materie est. Cum ergo exclusio sit actio, videtur quod omnis exclusio debeat fieri ratione materie.

39 Item. Videtur quod nulla sit ista distinctio. Si enim forma est perfectio alicuius⁴ rei, perfectio autem ipsius rei est de re et non potest separari a re, secundum hoc videtur quod non possit fieri exclusio ratione forme ita quod non ratione materie.

40 Item. 'Idem' dicitur tripliciter: idem genere, idem specie, idem numero. Idem⁵ numero tripliciter dicitur: idem diffinitione, idem proprio, idem accidente. Idem diffinitione est sicut idem est diffinitio diffinito, ut *animal rationale mortale* idem est *homini*. Idem autem proprio sicut proprium idem est illi cuius est proprium, ut *risibile* idem est *homini*. Idem autem accidente sicut Sortes idem est sibi sedenti. Cum ergo res existens sub albedine vel sub alio accidente, ita quod sint in accidente idem, erunt illi idem numero et idem simpliciter. Restat ergo [75rb] quod accidens et substantia cuius est accidens, eadem sunt simpliciter. Et si eadem sunt simpliciter, inter ea non poterit fieri divisio. Et si inter ipsa non poterit fieri divisio, non est distinguere sive dividere quod possit fieri exclusio ratione unius vel ratione alterius. Si enim posset fieri divisio sic vel sic, si es <se> t exclusio, non pone <re> t divisionem et diversitatem inter ea que sunt eadem simpliciter. Hoc autem est impossibile. Ergo primum, ex quo sequitur, scilicet quod possit <fieri> exclusio ratione forme solum vel ratione materie.

41 *Solutio*. Dicendum quod bona est distinctio predicta ex eo quod potest fieri exclusio quandoque ratione materie, quandoque ratione forme, vel ratione utriusque.

3. *De sex principiis* cap. 16, p.38, 15-16

4. alicuius] illius V

5. idem] item V

42 Ad istud quod obicitur quod exclusio debeat semper fieri ratione forme, dicendum est quod exclusio non <est> oppositio proprie loquendo. Non enim sunt nisi quatuor genera oppositorum: aut contraria, aut relativa, aut privativa, aut contradictoria. Exclusio autem non est aliquod istorum et dictio exclusiva licet habeat excludere oppositum, non propter hoc sequitur quod exclusio sit oppositio.

43 Vel aliter potest dici, et melius, quod exclusio est oppositio et semper debet fieri exclusio ratione oppositorum. Cum enim dicitur: 'tantum homo albus currit,' prout excluduntur opposita eius quod est *homo*, sensus est: 'tantum homo albus currit,' idest: *homo albus currit et non asinus albus currit*, faciendo exclusionem sic: excluditur leo albus, asinus albus, inquantum habent formas oppositas respectu eius quod est *homo*, idest: *homo albus currit et nullum irrationale album currit*. Patet ergo quod prout fit exclusio ratione substantie, quod fit exclusio ratione substantialis forme. Illa autem exclusio forme non est exclusio ratione unius accidentis. Et ideo⁶ fit exclusio ratione substantie.

44 Ad secundum dicendum quod idem potest esse substantiale et formale, sed respectu diversorum, sicut superficies Sortis est forma respectu Sortis, tamen materialis est respectu albedinis vel nigredinis existentis⁷ in superficie Sortis. Eodem modo dicendum, cum dicitur: 'tantum homo albus currit,' quod nichil prohibet hoc quod dicitur 'album' esse materiale et formale, sed respectu diversorum; est formale respectu *hominis* scilicet, materiale vero respectu exclusionis. Dicendum ergo quod verum est quod omnis actio est respectu alicuius materie, sicut habetur in *Sex Principiis*. Et quando fit exclusio ratione huius accidentis *album* sive ratione forme, tunc agit dictio exclusiva in ipsum accidens sive in ipsam formam tamquam in materiam sic positam. Per hoc patet solutio ad secundum.

45 Ad tertium dicendum quod duplex⁸ est forma. Forma enim quedam est substantialis, quedam accidentalis. Substantialis est sicut humanitas est forma hominis; et non potest separari ab eo cuius est forma. Forma autem accidentalis est ut albedo est forma accidentalis hominis; et talis forma potest separari ab eo cuius est forma. Dicendum est ergo quod cum dicitur quod quandoque fit exclusio

6. ideo] quando V

7. existentis] exceptis V

8. duplex] divisio V

ratione materie, quandoque ratione forme: dicendum quod intelligendum est de forma accidentali et non de forma substantiali. Obiectio autem fuit de forma substantiali.

46 Ad ultimum dicendum quod verum est quod accidens et suum subiectum idem numero sunt, ut habetur ab Aristotele in libro *Topicorum*,⁹ et idem [75va] sunt secundum esse. Esse enim non est diversum ab¹⁰ esse subiecti <et> accidens habet esse per esse sui subiecti. Tamen differentia sunt secundum rationem. Aliquod enim predicatum potest convenire uni secundum rationem ita quod non alii. *Disgregare* enim convenit huic accidenti¹¹ albo et non sue substantie. Et sic habent diversitatem accidens et suum subiectum. Et sic poterit unum dividi et excludi ab alio, et e converso.

9. *Topica* V 4, 133b17-19

10. diversum ab] dultum (?) ad V

11. accidenti] accepti V

DE QUINTA DISTINCTIONE

De exclusione adiuncta propositioni modali

47 Consequenter queritur de alia regula dictionis exclusivae qua dicitur quod

si dictio exclusiva adiungatur alicui propositioni <modali, potest dictio exclusiva addi totali dicto huius propositionis>, excludendo opposita dicta et respectu predicatorum ipsius propositionis, vel potest addi subiecto dicti, excludendo subiecta opposita dicti et respectu predicatorum.

Cum dicitur TANTUM DEUM ESSE DEUM EST VERUM vel TANTUM HOMINEM ESSE ANIMAL EST VERUM et in similibus, dupliciter potest fieri exclusio. Uno modo potest dictio exclusiva adiungi huic totali dicto *Deum esse Deum*, excludendo opposita dicta et respectu predicatorum, sub hoc sensu 'tantum Deum esse Deum est verum,' idest: *Deum esse Deum est verum et non hominem esse hominem est verum.* Alio modo potest dictio exclusiva [potest] facere exclusionem suam. Potest enim adiungi subiecto illius dicti, excludendo opposita subiecta illius dicti, sub hoc sensu 'tantum Deum esse Deum est verum,' idest: *Deum esse Deum est verum et non hominem esse Deum est verum, et non asinum*, et sic de aliis. Et operatur ista dupliciter fallaciam compositionis et divisionis, ut dicitur communiter.

48 Sed contra istam distinctionem sic obicitur. Videtur enim quod tales orationes non sunt distinguende. Dicit¹ enim Aristoteles in *Secundo Elencorum* ubi² docet solvere per solutionem ad hominem, quia nichil differt interrogare utrum Callias³ et Themistocles⁴ sint domi vel non, quam si unum nomen esset impositum illis duobus existentibus diversis. Ergo si hoc nomen *A* imponatur huic dicto, *Deum esse Deum* et huic subiecto dicti,⁵ quod est *Deum*, nichil differt proponere secundum Aristotelem: 'tantum Deum esse Deum est verum' quam 'tantum *A* est verum,' cum in hac 'tantum *A* est verum' uno modo potest fieri exclusio et non dupliciter. Similiter videtur quod in hac 'tantum Deum esse Deum est verum,' que est eius equipollens, uno modo posset fieri exclusio et non dupliciter. Et si hoc,

1. *Soph. El.* 17, 176a6-8; cfr. 175b41-176a2

2. ubi nisi *V*

3. callies et thedes (!) sic semper *V*

4. hic Coriscus habet Aristoteles

5. dicti] deo *V*

'Deum esse Deum' non erit distinguenda, neque aliqua consimilis, sicut nec hec 'tantum A est verum.'

49 Item. Videtur quod debeat hec dictio 'tantum' solummodo adiungi subiecto dicti et non totali dicto. Dispositio enim debet adequari suo disposito. Et hoc patet per Aristotilem in predicamento quantitatis. Dicit⁶ enim quod albedo est quanta a quantitate superficies; et quantum se extendet albedo, tantum se extendet superficies que est subiectum illius albedinis. Similiter actio dicitur esse tanta⁷ quantum est tempus mensurans illam actionem. Et ita manifestum est per Aristotilem dispositionem adequari suo disposito. Cum ergo complexum et incomplexum non si <n>t adequata - est enim complexum maioris quantitatis quam incomplexum - sic complexum et incomplexum non sunt adequata inquantum talia. Cum ergo hec dictio [75vb] 'tantum' sit dictio incomplexa, non poterit adequari alicui complexo. Cum ergo dictum sit complexum, videtur quod hec dictio 'tantum' non possit adequari alicui dicto. Et si hoc, non poterit esse dispositio eius, cum dispositio debeat adequari disposito. Ergo videtur quod in hac: 'tantum Deum esse Deum est verum' hec dictio 'tantum' debeat adiungi solummodo subiecto dicti et non totali dicto. Et si hoc, semper excludet opposita subiecti, numquam opposita dicta predicte propositionis.

50 Item. Omnis distinctio est divisio, ut dicit⁸ Boetius, per coequeva et opposita. Cum ergo totum et pars non sunt opposita neque diversa, non debet fieri divisio inter totum et partem. Et ita non est distinctio. Et ita non est distinguere quod dictio exclusiva possit adiungi huic totali <dicto> *Deum esse Deum* vel sue parti.

51 Solutio. Dicendum quod in veritate distinctio bona est. Ad istud quod obicitur primo, dicendum est quod in veritate, sicut dicit⁹ Aristotiles, non differt interrogare utrum Callias et Themistocles sint domi vel non, quam si unum nomen esset illis impositum. Unde sicut hec est plures interrogatio 'putasne utrum Callias et Themistocles sint domi vel non?', similiter dicendum est in proposito quod in veritate nichil differt proponere 'tantum Deum esse Deum est verum' quam ponere 'tantum A est verum', contingente quod A sit nomen impositum ad significandum

6. *Categ.* 6, 5b6-8

7. tanta] causata V

8. Cf. *De divisionibus* cap. 18 (ed. Pozzi); 881 D3-5 (Migne)

9. *Soph. El.* 17, 176a6-8

istud totale dictum et ad significandum partem dicti. Et dicendum est quod sicut hec est duplex 'tantum Deum esse Deum est verum', similiter hec 'tantum A est verum'. Sed in prima magis manifestata est distinctio quam in secunda. Dicendum ergo quod hec est distinguenda 'tantum A est verum' ex eo quod hec dictio 'tantum' potest addi ei quod est *A* ratione eius quod significat totale dictum vel partem dicti. Si autem adiungatur ei quod est *A* prout significat partem dicti, sic est vera. Unde patet quod hec est vera quando *A* est verum. Sic hec: 'tantum Deum esse Deum est verum' et eodem modo vera est et eodem modo falsa est.

52 Ad aliud dicendum quod verum est quod dispositio debet adequari suo disposito et non excedere suum dispositum nec excedi a suo disposito. Unde dicendum quod hec dictio 'tantum', cum sit dictio incomplexa, debet esse dispositio incomplexi et non complexi. Sed negatio intellecta in hac dictione 'tantum' potest remove predcatum istud a subiecto¹⁰ illius dicti. Et ex hoc resultat predicta distinctio.

53 Ad ultimum dicendum quod in veritate pars et totum secundum se non sunt diversa, immo quicquid est de essentia partis est de essentia totius. Unde dicendum est quod subiectum dicti¹¹ et dictum, inquantum totum et pars, non differunt, sed tamen <sunt> differentia secundum quandam oppositionem,¹² scilicet prout totale dictum est subiectum propositionis et secundum quod pars illius dicti est subiectum illius dicti. Et quantum ad hoc differunt. Et secundum hoc potest fieri inter ipsa distinctio et divisio. Et sic non se habent ut totum et pars.

10. subiecto] substantia V

11. dicti] dicto V

12. oppositionem] compositionem V

DE SEXTA DISTINCTIONE

De duobus sincategorematis in eadem locutione positis

54 Item. Queritur de hoc quod solet dici quod

quando duo [76ra] sincategoremata ponuntur¹ in aliqua locutione vel idem geminatum, duplex est locutio ex eo quod unum potest includere reliquum vel e converso, sive unum² potest esse formale vel materiale respectu alterius vel e converso, sive potest iudicari per unum vel per alterum.

Et ista³ tria idem nominant. Verbi gratia. Si dicatur SOLIS TRIBUS SOLA DUO SUNT PAUCIORA sive SOLUM GENTIVUM PRECEDIT SOLUS NOMINATIVUS et in similibus, est geminatum idem sincategoreuma. Unde tales orationes distinguende sunt ex eo quod possunt iudicari penes unam dictionem exclusivam vel penes alteram. Ita iste locutiones QUICQUID EST VEL NON EST EST; SOLA NECESSARIA NECESSARIO SUNT VERA et consimiles distinguende sunt ex eo quod possunt iudicari penes unam dictionem exclusivam vel penes alteram vel penes unum sincategoreuma vel penes alterum.

55 Et contra istam distinctionem fiunt⁴ multa dubitabilia. Et primo dubitatur. Cum omnis duplicitas operetur aliquam fallaciam in dictione, queratur quam fallaciam operetur ista duplicitas. Et solet dici communiter quod operatur fallaciam compositionis et divisionis.

56 Sed contra. Habetur ab Aristotile in *Secundo Elencorum* ubi solvit parallogismos compositionis et divisionis, quod⁵ ad omnes parallogismos eiusdem fallacie debet esse eadem solutio communis. Unde dicit⁶ "nam orationibus⁷ que propter idem sunt eadem est solutio", idest orationes facte secundum⁸ eandem causam fallendi, earum⁹ est eadem solutio. Quod¹⁰ ergo ista solutio, scilicet quod

1. ponuntur] b ponit V

2. unum] V^c om. V

3. ista] b ita V

4. fiunt] sunt V

5. quod] et V

6. *Soph. El.* 20, 177b31-32

7. orationibus] omnibus V

8. secundum] vel V

9. earum] vel V

possit iudicari penes unum vel penes alterum, non sit communis ad omnes paralogismos compositionis et divisionis patet. Si enim dicatur 'duo et tria sunt quinque', hec oratio fallit secundum compositionem et divisionem. Non tamen orationi huiusmodi competit ista solutio. Ergo videtur quod non conveniat omnibus¹¹ paralogismis secundum compositionem vel divisionem. Et si hoc, videtur quod predicta distinctio non sit solutio ad omnes paralogismos compositionis et divisionis. Et ita huiusmodi distinctio non est secundum compositionem et divisionem.

57 Item ad idem. Illa oratio que est secundum eundem modum proferendi et secundum eundem sicut¹² in partibus plura significat, operatur actualem multipliciter. Hoc patet. Si enim dicatur: 'canis currit' vel 'liber Aristotilis', utraque istarum plura significat et secundum eundem modum proferendi et secundum eundem sicut¹³ in partibus. Propter hoc utraque istarum operatur actuale multiplex.¹⁴ Sed si dicatur sic: QUICQUID VIVIT SEMPER EST, hec oratio non operatur actuale multiplex, sed potentiale. Et hoc est quod, licet huiusmodi plura significet,¹⁵ tamen hoc est per diversum modum proferendi et diversum sicut in suis partibus. Et ex hoc patet quod omnis oratio que plura significat secundum eundem modum proferendi et eundem sicut in partibus suis, operatur actuale multiplex.

58 Sed omnis illa oratio in qua ponuntur duo sincategoreumata vel idem geminatum, significat plura secundum eundem modum proferendi et eundem sicut in suis partibus. Quod patet. Cum dicitur SOLIS TRIBUS SOLA <DUO> SUNT PAUCIORA; SOLA NECESSARIA ... etc. et in consimilibus, cum <sint> orationes secundum eundem modum proferendi et eundem sicut¹⁶ in suis partibus, plura significant. Quod patet. Utroque enim sensu [76rb] feruntur¹⁷ ille determinationes ad eadem determinata, quia hec dictio 'sola' semper fertur ad hoc quod dico 'duo'

10. quod] cum V

11. omnibus] tribus V

12. sicut] sunt V

13. sicut] sunt V

14. multiplex] multipliciter V

15. significet] significat V

16. sicut] sint V

17. feruntur] fuerunt V

et li¹⁸ 'solum' ad hoc quod dico 'tribus'. Et similiter in aliis. Ergo secundum hoc videtur quod huiusmodi locutiones debeant operari actuale multiplex. Cum ergo actuale multiplex non sit in fallacia compositionis et divisionis sed in fallacia equivocationis et amphibolie, secundum hoc videtur quod talis distinctio non debeat operari fallaciam compositionis et divisionis sed potius fallaciam equivocationis.

59 Equivocatio vero accidit in eodem nomine plura significante vel consignificante. Cum ergo in hiis locutionibus in quibus potest unum includere¹⁹ reliquum vel econverso, vel sit aliqua dictio plura significans vel consignificans, videtur quod talis duplicitas non faciat equivocationem vel amphiboliam. Idem²⁰ videtur alia ratione. Amphibolia enim est deceptio proveniens ex diversa ratione construendi vel ex transsumptione in toto. Cum ergo in talibus orationibus que possunt iudicari per unum vel per reliquum, non sit diversa constructio vel diversa ratio construendi vel transsumptio in toto, secundum hoc videtur quod talis duplicitas non debeat operari fallaciam amphibolie.

60 Similiter nec accentum, ut videtur, quia accentus est deceptio proveniens ex eo quod eadem dictio secundum numerum potest accentuari diversimode, quod <non> contingit in huiusmodi locutionibus in quibus unum includere potest reliquum. Similiter videtur quod non debeat operari fallaciam figure dictionis, ex eo quod dicit²¹ Aristotiles in libro *Elencorum*: "fallacia figure dictionis accidit quando dissimilia interpreta <n> tur ut similia". Cum ergo in huiusmodi locutionibus in quibus unum potest includere reliquum, non contingit²² dissimili <a> esse similia eoquod non interpretantur *quid quale* aut *quid quantum* aut *quantum quale*, et ita de aliis, - secundum hoc videtur quod huiusmodi distinctio non faciat fallaciam <figure> dictionis neque aliquam <aliam> fallaciam in dictione, ut iam est ostensum.

61 Cum ergo omnis duplicitas debeat operari aliquam fallaciam <in dictione> et hec distinctio, scilicet quod quandoque potest iudicari penes²³ unum vel penes

18. li] si V

19. includere] V^c excludere V

20. idem] illud V

21. *Soph. El.* 4, 166b10-11

22. contingit quod interpretantur] potest interpretatur (!)V

23. penes] per sic saepius V

reliquum, unde, cum non operatur aliquam fallaciam in dictione, sicut ostensum est, propter hoc videtur quod illa distinctio²⁴ non sit causa²⁵ duplicitalis.

62 Item. Obicitur contra predictam regulam. Videtur enim quod nulla sit. Ea enim que sunt in arte, proportionantur eis que sunt in natura. Et hoc est quod dicit²⁶ Porphyrius in libro suo: "rebus ex materia et forma constantibus vel materie et forme proportionem habentibus sicut statua ex ere tamquam ex materia est, ex figura²⁷ autem tamquam forma". Ex hoc vult Porphyrius quod ea que sunt in arte proportionantur eis que sunt in naturis. Et sicut unumquodque in natura est compositum ex materia et forma, ita in arte unumquodque est compositum ex materia et forma, secundum proportionem. Sic autem est in natura et in rebus nature quod materia [76va] non potest permutari in formam neque econverso. Sicut patet in materia et forma hominis. Corpus enim, quod est materia hominis, numquam permutatur in animam, que est eius forme, nec econverso.

63 Ergo similiter debet esse ex parte eorum que sunt in arte, ex quo²⁸ proportionantur eis que sunt in natura, quod istud quod est in arte, non potest indifferenter esse materiale et formale, sed oportet quod si sit materiale, quod nullomodo posset esse formale, nec econverso. Et si sic, non erit distinguere de duabus dictionibus officialibus, scilicet quod una possit esse materialis vel formalis respectu alterius, et econverso. Immo de necessitate oportet quod una sit materialis solummodo et alia formalis, sicut est ex parte rerum que sunt in natura.

64 Item. Sunt quedam dictiones que significant habitudines rerum, quedam que significant ipsas res. Dictiones autem significantes habitudines rerum ipsarum sunt dictiones consignificative²⁹ vel officiales, sicut prepositiones, coniunctiones et similia. Dictiones autem significantes res sunt dictiones nominales et verbales, et sic de aliis partibus declinabilibus. Sed sic est quod materia et forma sunt res et non sunt habitudines ipsarum rerum. Cum ergo dictiones officiales significant habitudines ipsarum rerum et non ipsas res, videtur quod non possunt esse

24. distinctio] duplicitas V

25. causa] nature (an nullo?) V

26. *Isag.* p.18, 9-12 (transl. Boethii, ed. Minio-Paluello)

27. figura] falsa V

28. ex quo = 'because'

29. consignificative] significate (!) V

materiales et formales neque significant materiam vel formam. Et si hoc, non erit distinguere, eoquod una dictio potest includere <aliam> vel quod una dictio officialis vel sincategoreumatica possit esse materialis vel formalis respectu alterius, vel e converso.

65 Deinde queratur sic.³⁰ Regula est quod

istud quod est formale dicitur esse istud quod includit alterum; istud autem quod dicitur materiale, dicitur illud quod includitur ab altero.

Verbi gratia, cum dicitur: QUICQUID EST VEL NON EST, EST; distributio est formalis respectu disiunctionis et disiunctio materialis. Secundum hoc disiunctio includitur et distributio includit.

66 Quod istud nichil sit videtur. Sic est in rebus nature quod illud quod est materiale, dicitur includere istud quod est formale, sicut corpus dicitur includere animam, et non e converso. Ergo sic debet esse ex parte eorum que sunt in arte quod istud quod est materiale respectu alterius, diceretur includere istud cuius est materiale. Et si hoc, istud quod est materiale, includet istud quod est formale, et istud quod est formale, includetur a materiali.³¹ Quod est contra communiter loquentes.

67 Item. Videtur quod semper debeat totalis locutio iudicari penes sincategoreuma quod est in fine, et non in principio. Sicut dicit³² Boetius in principio *Topiconum*: "omnis ratio <disserendi> distribuitur in duas partes", idest ars disputandi habet dividi in duas partes: in artem inveniendi et in artem iudicandi. Ars autem indicandi appellatur ars resolutoria. Unde iudicium idem est quod resolutio. Si ergo resolutio incipit a parte posteriori, et iudicium debet³³ a parte posteriori incipere, cum iudicium idem sit quod resolutio. Omnis autem resolutio <incipit> a parte posteriori, quia ubi³⁴ terminatur generatio, ibi incipit resolutio. Si ergo resolutio incipit a parte posteriori, et iudicium debet³⁵ incipere a parte [76vb] posteriori, cum iudicium idem sit quod resolutio.³⁶ Et si hoc,

30. sic. Regula] sicut V

31. materialij naturale V

32. De top. diff. I, init.: "Omnis ratio disserendi ... in duas distribuitur partes"

33. debet] dicitur incipere V

34. ubi] nisi V

35. debet] dicitur V

36. resolutio] resolutivorum (//)V

similiter³⁷ videtur quod illa locutio in qua due distinctiones sincategoreumatice simul ponuntur,³⁸ debet iudicari penes³⁹ sincategoreuma sequens et non penes sincategoreuma precedens.

68 Item. Alio modo potest concludi idem sic.⁴⁰ Quod est materia, naturaliter precedit formam et forma subsequitur. Istud patet in compositione domus. Lapidēs enim et ligna et huiusmodi, quae sunt materia ipsius domus, naturaliter precedunt compositionem eorum; quae compositio forma est respectu ipsius domus. Ex hoc patet quod dictio sincategoreumatica precedens debet se habere per modum materiae ad dictionem sincategoreumaticam subsequentem, et illa dictio subsequens per modum formae ad precedentem. Et si hoc, videtur quod semper debent iudicari penes sincategoreuma quod est formale et non materiale.

69 Item. Videtur quod nullomodo sit distinguendum quod possit iudicari penes hoc vel penes hoc. Omnis enim duplicitas causatur a veritate una et a falsitate alia vel a duplici falsitate vel a duplici veritate. Omnis autem veritas et falsitas causatur a re et non a parte nostra. Et hoc est quod dicit⁴¹ Aristoteles in *Predicamentis*: "ab eo quod res est vel non est, est oratio vera vel falsa". Ergo duplicitas debet causari a parte termini et non a parte nostra. Cum ergo iudicium sit a parte nostra et non a parte rei, videtur quod duplicitas non debet causari a iudicio nostro. Et si hoc, non est distinguere quod aliqua oratio potest iudicari penes hoc vel penes illud.

70 *Solutio*. Ad primum dicendum quod predicta duplicitas non operatur compositionem et divisionem, sicut quidam dicunt, immo operatur fallaciam equivocationis ex eo quod aliquid potest esse materiale vel formale. Iste autem significationes diverse sunt, scilicet quod aliquid posset esse materiale vel formale. Unde dicendum est quod illa dictio quandoque potest esse vel materialis vel formalis. Quantum ad hoc equivoca est et habet diversos modos significandi. Per hoc patet quam fallaciam in dictione operetur hec dicta duplicitas.

71 Per hoc patet solutio ad aliud quod obicitur, quod non operetur equivocationem. Solvendum est istud per interemptionem. Dicebatur enim quod in

37. similiter] semper V

38. ponuntur] ponatur V

39. penes] per sic saepius V

40. sic. Quod est] Sic est quod V

41. *Categ.* 5, 4b8-10; 12, 14b21-22

illa duplicitate⁴² non est aliquid plura significans vel consignificans. Hoc autem falsum est, sicut patet per predicta. Immo illa dictio que potest esse materialis vel formalis, diversum modum significandi habet quantum ad hoc.

72 Ad hoc quod obicitur consequenter, quod nulla debet esse illa multiplicitas per hoc quod ea que sunt in arte, assimilantur eis que sunt in natura; in natura autem non potest esse idem materiale et formale respectu eiusdem; ergo similiter erit ex parte eorum que sunt in arte, quod idem non poterit esse materiale et formale respectu eiusdem, - dicendum quod non est simile de materia et forma, <quia materia et forma> in natura sunt secundum veritatem, in arte autem secundum similitudinem. Propterea materia in natura magis dicit veritatem materie et forma magis veritatem forme quam dicant secundum quod sunt in arte. Propterea materia in natura non potest permutari in formam, nec econverso; in arte autem nichil prohibet, cum ibi non sint materia et [77ra] forma secundum veritatem.

73 Ad aliud dicendum quod in veritate quedam dictiones significant habitudines ipsarum rerum, ut indeclinabiles, quedam ipsas res, ut declinabiles. Sed notandum quod dictiones officiales, sicut sincategorematicæ, non dicuntur materiales vel formales quia significant materiam et formam, que numquam sunt res, sed dicuntur [naturales] materiales vel formales quia significant aliquid⁴³ <per> modum materie vel aliquid per modum forme. Sicut enim contingit in natura quod istud quod est forma in rei natura, dicitur esse agens in materiam et materia dicitur esse patiens, similiter contingit in arte quod dictio que debet includere aliud, se habet per modum agentis, reliqua autem materialiter, scilicet illa que includitur, se habet per modum patientis. Propter hoc tales dictiones quarum una potest includere aliam, possunt⁴⁴ se habere per modum materie vel per modum forme, non tamen quia significant materiam vel formam secundum veritatem, sed quia se habent per modum materie vel per modum forme.

74 Ad hoc quod obicitur consequenter, quod in eis que sunt in natura, materia dicitur includere formam; ergo similiter erit in arte quod istud quod est materiale debet includere istud quod est formale et non econverso, - dicendum quod, sicut

42. duplicitate] duplicatione V

43. aliquid] ad V

44. possunt] posset V

prehabitu est, dictio sincategoreumatica non dicitur esse materialis vel formalis quia sit naturaliter⁴⁵ materiale vel formale, sed dicitur materialis quia significat per modum patientis, et formalis quia significat per modum agentis. Quia ergo 'includere' dicit naturam agendi, 'includi' <autem> dicit naturam agendi, propter hoc dicitur <dictio> formalis includere, dictio autem materialis includi.

75 Ad aliud dicendum est quod multipliciter dicitur esse iudicium in sermone. Est enim quoddam penes quantitatem ipsius enuntiationis; et tale iudicium debetur enuntiationi ratione sui principii materialis; et hoc est ratione sui subiecti. Est autem aliud iudicium circa enuntiationem ratione sue qualitatis; et tale iudicium debetur enuntiationi ratione compositionis. Est autem tertium iudicium ratione essentie. Et hoc patet per questionem factam de propositione per hoc nomen 'que?', quod⁴⁶ est quesitivum de essentia enuntiationis. Unde quesito: 'que est propositio ista?', respondendum est: 'categorica' vel 'ypothetica', que, inquam, due dicunt essentiam enuntiationis. Et tale iudicium debetur enuntiationi ratione predicati. Est enim *categoricum* idem quod *predicatum*. Istud vero ultimum iudicium est idem quod⁴⁷ resolutivum. Tale enim iudicium provenit a parte posteriori, sicut est resolutivum.

76 Per hoc patet solutio ad istud quod obicitur. Non enim omne iudicium est resolutivum, sed quoddam est et quoddam non. Et notandum quod cum dicitur quod potest iudicare penes hoc vel penes istud, intelligendum est non solum de iudicio quod est in enuntiatione ratione sui subiecti vel quantitatis, nec de iudicio quod est in ratione qualitatis sive oppositionis, nec de iudicio quod est ratione essentie sive predicati, sed sumitur communiter iudicium secundum quod est commune ad iudicium quod est in ratione quantitatis et ad iudicium in ratione qualitatis et ad iudicium in ratione essentie [77rb] sive predicati.

77 Ad quod obicitur consequenter, dicendum est quod verum est quod materia naturaliter precedit formam. Sed intelligendum est de vera materia et vera forma. Quia ergo dictiones sincategoreumatice non habent⁴⁸ veritatem materie vel veritatem forme sed solum modum earum, ut predictum est, propter hoc non oportet quod dictio que dicitur esse materialis respectu alterius, semper precedat.

45. naturaliter] nature V

46. quod] que V

47. quod] per V

78 Ad aliud dicendum est quod verum est quod omnis duplicitas causatur a duplici veritate vel a duplici falsitate vel ab una veritate et alia falsitate; et etiam verum est quod omnis veritas et falsitas causatur a <rei> veritate et a parte termini et non a parte nostra; et non causatur a nostro iudicio inquantum nostrum est. Sed dicendum est quod ista duplicitas causatur a parte termini <inquantum rem> significat⁴⁸ per sermonem. Et hoc sequitur nostrum iudicium. Et ex hoc accidit quod potest iudicari penes hoc vel penes istud, non quia iudicium nostrum sit causa duplicитatis sed solummodo res designata per sermonem. Et ad hoc consequitur iudicium nostrum diversum ex parte nostra.

79 Ad illud quod obicitur, quod dictio non debet includere aliam quia sic est in rebus nature quod materia⁴⁹ dicitur includere formam et habet formam intra se sed dictio sincategoreumatica in se includit alteram et non ita se habet per modum <materie> ad ipsam, - dicendum quod in veritate rerum [nulla] materia habet includere formam, sicut patet in *homine* et in *asino*, <sed> quod istud solummodo tenet in eis que habent veritatem materie et veritatem forme et non in eis que habent modum materie et modum forme. Quia ergo dictiones officiales non habent veritatem materie et veritatem forme sed solummodo modum earum, ut predictum est, propter hoc in huiusmodi non oportet quod in subiecto unius includatur subiectum alterius, sicut contingit in eis que habent veritatem materie vel veritatem forme. Et ita patet solutio huius questionis que solet queri: cum ita sit in natura quod istud quod includit alterum, continetur in eius substantia, sicut patet in *homine* (corpus enim infra hominis substantiam continet formam eius, scilicet animam) - ergo similiter debet esse ex parte eorum que sunt in arte quod istud quod includit alterum, infra substantiam eius contineatur.

48. significat] V significati perperam b

49. materia] natura V

DE SEPTIMA DISTINCTIONE

De disiunctiva et copulativa coniunctionibus

80 Queritur de ista distinctione que solet fieri de disiunctiva coniunctione et copulativa coniunctione. Solet enim dici communiter quod

coniunctio copulativa vel disiunctiva potest coniungere terminum termino vel propositionem propositioni.

Verbi gratia. Si enim dicatur DUO ET TRIA SUNT QUINQUE, habet hec distinguere eoquod hec dictio 'et' potest copulare terminum termino vel propositionem propositioni. Si autem copulat terminum termino, oportet predicatum reddi partibus copulatis¹ coniunctim.² Si autem fit copulatio inter propositiones, tunc oportet predicatum reddi partibus copulatis³ divisim, ita quod illud 'quinque' repetatur⁴ et attribatur [77va] cuilibet parti copulationis per se. Sic hec est distinguenda OMNE ANIMAL EST RATIONALE VEL IRRATIONALE ex eo quod hec dictio 'vel' potest distinguere inter terminos vel inter propositiones.

81 Sed contra istam distinctionem multa possunt dubitari. Videtur autem in principio posse ostendi quod semper debeat fieri disiunctio sive copulatio inter terminos et non inter propositiones. Et hoc patet per Priscianum. Dicit⁵ enim in ultimo capitulo *Maiores Voluminis*, ubi diffinit coniunctionem, dicens quod coniunctio est pars orationis⁶ indeclinabilis coniunctiva aliarum partium vim vel ordinem demonstrans, - ex diffinitione coniunctionis innuit Priscianus quod coniunctio debet coniungere partes orationis. Cum ergo partes orationis non sint nisi nomen et verbum et sic de aliis sex, que nomina et verba et consimilia termini sunt sive dictiones et non propositiones, - secundum hoc videtur quod omnis coniunctio esse deberet inter terminos et non inter propositiones. Et hoc modo copulativa et disiunctiva cum sint coniunctiones, debent copulare sive disiungere inter terminos et non inter propositiones.

1. copulatis] copulationis *Vb*

2. coniunctim] divisim *V*

3. copulatis] copulativis *V* copulationis *b*

4. repetatur] repertur (*l*)*V* repeteretur *b*

5. *Inst. gramm.* XVI, p. 93, 2-3

6. orationis] dictionis *V*

82 Item. Hoc idem videtur alio modo⁷ per Priscianum in eodem volumine dicentem⁸ quod omnis coniunctio aut coniungit duas substantias respectu eiusdem actus sive respectu unius accidentis. - ut hic⁹ 'Sortes et Plato sunt albi' -; aut coniungit inter duos actus respectu eiusdem substantie, ut 'Sortes currit et disputat'. Cum ergo omnis coniunctio coniungat duas substantias respectu eiusdem actus vel duos actus respectu unius substantie, et due substantie sunt duo termini, duo autem accidentia sunt duo termini, - secundum hoc videtur quod semper debet fieri disiunctio inter terminos et non inter propositiones.

83 Hoc habito videtur quod semper debeat fieri disiunctio sive copulatio inter propositiones et numquam inter terminos. Et hoc <patet per> Priscianum dicentem¹⁰ in *Minori volumine* quod in hac oratione: 'idem homo <heu> lapsus' etc. ponuntur omnes fere partes orationis; et dicit 'fere' propter coniunctionem, que, inquam, coniunctio, si apponatur, ut ipse dicit in eadem litera, exigeret aliam locutionem, idest orationem, illi coniungere. Et secundum hoc innuit ibi Priscianus constructionem fieri orationis ad orationem, sive propositionis ad propositionem. Et si hoc, numquam fit coniunctio termini ad terminum.

84 Item. Hoc idem videtur alia ratione. Hec enim coniunctio 'et' significat simul esse. Sicut <autem> dicit¹¹ Priscianus, hec <autem> coniunctio 'vel' significat unam partem esse et aliam partem non esse. Verbi gratia. Si enim dicatur: 'Sortes currit et disputat', exigit hec dictio 'et' quod currere et disputare simul insint Sorti et eodem tempore. Propter hoc hec dictio 'et' dicitur significare simul esse. Similiter si dicatur: 'Sortes currit vel disputat', hec dictio 'vel' exigit alteram partem esse [naturam], sive alteram extremitatem esse [naturam], et alteram non. Et hoc est quod dicit¹² Boetius: "hoc sentit¹³ disiunctiva coniunctio quod¹⁴ ea inter que disiungit simul esse non permittit". [77vb] Cum ergo li¹⁵ 'vel' significat alteram partem esse et alteram non esse, videtur quod debeat disiungere

7. modo] medio V

8. an Petrus Helias, *In Prisc.*, *Inst. gramm.* II 56, 16sq.?

9. hic] hoc V

10. *Inst. gramm.* XVII, p. 116, 11

11. *Inst. gramm.* XVI, p. 97, 17-9

12. Cf. *De hyp. syllog.* III, 11, 7, p. 388, 56-7 (ed. Obertello; 876 C 8-9 (Migne))

13. sentit] coll. Boethio sapit V

14. quod] per (an rerum?) V

15. li] hoc V

inter talia que significant esse. Et secundum hoc videtur quod hec coniunctio 'vel' semper debeat disiungere inter propositiones et non inter terminos.

85 Deinde queratur cuiusmodi fallacia <m> operetur hec multiplicitas. Et solet dici communiter quod operetur fallaciam compositionis et divisionis. Sed hoc supposito potest queri quo sensu sit composita et quo sensu sit divisa. Et ad hoc dicendum est quod est composita secundum quod coniungit terminos, divisa secundum quod coniungit propositiones. Sed hoc nichil est. Quando enim coniungit propositiones, tunc coniungit propositionem propositioni, sicut quando coniungit terminos, coniungit terminum termino. Ergo qua ratione dicitur composita quando coniunguntur termini et copulantur, eadem ratione videtur esse composita quando coniunguntur et copulantur propositiones.

87 Item. Videtur quod nulla sit distinctio. Non enim debet fieri distinctio inter ea quorum unum sequitur ad aliud, cum omnis distinctio sive divisio debeat fieri inter opposita, ut dicit¹⁶ Boetius. Cum ergo ad coniunctionem propositionum sequatur coniunctio terminorum, licet non sequatur e converso, videtur quod inter talia non <possit> fieri divisio neque distinctio. Et si hoc, nichil est distinguere quod possint coniungi termini vel propositiones.

88 *Solutio*. Dicendum quod in veritate bona est predicta distinctio, scilicet quod potest fieri coniunctio¹⁷ quandoque inter terminos vel inter propositiones.

89 Ad illud quod obicitur primo, quod semper debet fieri copulatio sive disiunctio inter terminos eoquod coniunctio est coniunctiva aliarum partium orationis, - dicendum quod hoc quod dicimus 'partium orationis'¹⁸ in ratione coniunctionis non dicit idem quod est pars neque subiectum¹⁹ partis, sed dicit aptitudinem partis in quantum pars est. Et ita non habebitur quod coniungit partes orationis in quantum habent compositionem ad suum totum. Pars autem comparata ad suum totum nichil aliud est quam oratio. Et <ideo coniunctio> competenter poterit coniungere orationem orationi.

90 Ad aliud [82] dicendum est quod verum est, ut dicit Priscianus,²⁰ quod omnis coniunctio coniungit duas substantias respectu eiusdem actus sive

16. *De divis.* cap. 18 (ed. Pozzi) 881 D 3-5 (Migne)

17. coniunctio] disiunctio V

18. orationis] positionem V

19. subiectum] substantiam V

20. *Vide supra*, n. 8

accidentis, vel duos actus respectu unius substantie. Sed dicendum est quod Priscianus non intelligit hanc auctoritate <m> cum precisione, ita quod solum due substantie coniungerentur respectu unius actus vel solum duo actus respectu unius eiusdem substantie. Sed intelligit eam sine precisione, ita quod due substantie possent coniungi respectu eiusdem actus geminati vel non geminati vel respectu diversorum actuum vel [78a] duos actus respectu substantie eiusdem geminate vel non geminate vel respectu diversorum subiectorum. Et sic non habetur quod semper fiat coniunctio inter terminos, sed quandoque inter terminos, quandoque inter propositiones. Inter terminos quando coniunguntur due substantie respectu unius actus non geminati, ut hic: 'Sortes et Plato currunt'. Inter propositiones quando coniunguntur due substantie respectu unius geminati, vel respectu diversorum actuum. Respectu unius actus geminati,²¹ ut 'Sortes currit et Plato currit',²² respectu diversorum actuum, ut 'Sortes currit et Plato disputat'.

91 Ad aliud quod obicitur tertio loco, quod semper debet fieri coniunctio inter propositiones per hoc quod dicit Priscianus quod huic orationi: 'idem homo heu lapsus'²³ hodie concidit' addatur illa coniunctio, exigit aliam orationem quam coniungeret huic orationi, - dicendum quod omnis coniunctio debet esse similem et debet coniungere similia, sicut complexum complexo et incomplexum incomplexo, et numquam coniungit complexum incomplexo. Quia ergo hec oratio quam²⁴ sequatur alia oratio, <exigit coniunctionem per> quam coniungat <ur> illi orationi, quia si consequeretur ipsius causa, coniungeretur complexum incomplexo, quod est impossibile, - propter hoc oportet quod subsequatur alia oratio, adveniente coniunctione, nec hoc est solum ex natura coniunctionis. Et quantum ad hoc non habebitur quod semper debeat coniungere coniunctio inter orationes.

92 Ad aliud autem quod obicitur consequenter, dicendum est quod hec coniunctio 'vel' quando <que> disiungit inter terminos, significat unam partem predicatoris inesse subiecto²⁵ et alteram partem non inesse. Nec tamen significat esse vel non esse simpliciter, immo est ibi fallacia secundum quid et simpliciter. Cum enim dicitur: 'Sortes currit vel disputat', hic assignatur virtute coniunctionis

21. respectu ... geminati] V^c om. V

22. currit] V^c disputat V

23. lapsus] coll. Prisciano lausus V

24. quam] quod V

25. subiecto] substantia (!) V

disiunctive quod una pars predicati disiuncti insit subiecto²⁶ et altera non. Sic tamen hec coniunctio 'vel' significat esse et non esse sicut enuntiatio dicitur significare esse vel non esse, sicut dicit²⁷ Aristotiles in libro *Peryarmenias*. Immo qui faceret huiusmodi argumentationem, argueret secundum quid et simpliciter. Si autem disiunctio disiungat inter enuntiationes, tunc in veritate significat illa disiunctio esse et non esse sicut enuntiatio. Eodem modo solvendum est de hac coniunctione 'et', que significat simul esse.

93 Ad aliud dicendum est quod in veritate non debet fieri disiunctio inter ea quorum unum sequatur ad aliud. Quod autem obicitur quod ad coniunctionem propositionum sequatur coniunctio terminorum; ergo inter talia non debet fieri divisio neque distinctio, - dicendum ergo quod predicta distinctio sic habet intelligi, scilicet quod potest fieri coniunctio inter terminos per se vel inter propositiones. Sic neutra sequitur ad alteram. Ad <con>iunctionem autem per se propositionum non sequitur coniunctio terminorum per se, sed solum secundum accidens. Si ergo coniungantur propositiones, coniunguntur termini, sed non coniunguntur termini per se, sed per accidens, scilicet mediante coniunctione propositionum.

94 Propter hoc patet solutio ad [78b] aliud. Non enim ad <con>iunctionem per se propositionum sequitur coniunctio terminorum per se sed per accidens.

95 Ad ultimum dicendum est quod in veritate predicta distinctio operatur fallaciam compositionis et divisionis. Sed si queratur in quo sensu est composita et in quo sensu est divisa, dicendum est quod secundum quod coniungit terminum termino, sic est composita; secundum autem quod coniunguntur propositiones, sic est divisa. Et quod obicitur quod utroque modo est compositio et divisio, sive coniunguntur propositiones sive termini, dicendum est quod verum est. Sed quia maior fit pausatio et maior mora in proponendo et maior <in> pronuntiando secundum quod coniunguntur propositiones quam secundum quod coniunguntur termini, propter hoc dicitur divisa quando coniunguntur propositiones; quando coniunguntur termini, composita. Et hoc est propter maiorem et minorem pausionem et punctationem. Unde appellaverunt antiqui istam fallaciam fallaciam puncti.

26. subiecto] substantia (!)V

27. Cf. *De interpr.* 5, 17a23-6, 17a30

DE OCTAVA DISTINCTIONE

De diversa relatione et diversa demonstratione

96 Consequenter queritur de hoc quod solet dici communiter quod diversa relatio¹ sive diversa demonstratio illationem argumentationis impedit et facit equivocationem, ut dicunt² <antiqui>. Utrum hoc faciat equivocationem vel amphiboliam, inferius manifestabitur.

97 Sed videtur quod diversa <relatio> sive diversa demonstratio non impedit illationem argumentationis. Hoc enim nomen 'qui', ut dicit³ Priscianus in *Maiori volumine*, triplicem habet acceptionem. Quandoque enim sumitur infinite, quandoque relative, quandoque interrogative. Infinite ut hic: 'qui interficiet etc.';⁴ et tunc terminatur sua infinitas per subsequens. Est enim sensus: 'qui tyrannum etc.' sive ille sive ille etc. Interrogative autem sicut cum dicitur 'qui currit?', et tunc terminatur sua interrogatio per subsequens sic, cum respondetur 'Sortes' vel 'Plato'. Relative autem dicitur ut hic: 'Sortes currit qui disputat'. Et tunc terminatur hoc nomen 'qui' per hoc antecedens 'Sortes'. Cum ergo hoc nomen 'qui', cum sumitur interrogative et infinite, nullam faciat deceptionem, <sic quoque, cum sumitur relative, nullam faciat deceptionem>, eoquod potest determinari per diversa antecedentia.⁵ Et sic hoc nomen 'qui' non est equivocum neque multiplex ex eo quod posset⁶ referri ad hoc antecedens vel ad illud. Pari ratione nec aliquid <aliud> relativum.

98 Item ad idem. Hoc nomen 'qui' et omne relativum dicit substantiam infinitam. Et quoniam se habet ad omnes substantias, non determinando prius illam substantiam quam aliam,⁷ similiter hoc nomen 'animal' se habet similiter ad omne animal, non determinando plus illam speciem quam aliam. Cum autem dicitur 'animal-homo', tunc coartatur⁸ hoc quod dico 'animal' ad supponendum pro specie

1. relatio] b ratio V

2. dicunt] b dicant (!)V

3. Cf. *Inst. gramm.* XVII, 127, 3sqq

4. *ibid.*: 'qui interficiet tyrannum, praemium accipiat'

5. antecedentia] accidentia V

6. posset] possunt V

7. aliam] illam V

8. coartatur] coaptatur V

animalis que non est asinus; et ita de aliis. Cum autem ipsum animal <licet> ita <determinetur> per diversa, non faciat aliquam fallaciam, similiter videtur quod aliquod relativum non faciat aliquam deceptionem per hoc quod possit determinari per diversa antecedentia.⁹

99 Item ad idem. Videtur quod nullum relativum sit equivocum, sed univocum. [78va] Dicit¹⁰ enim Aristotiles in principio *Predicamentorum* quod univoca sunt quorum nomen commune est, ratio autem substantie secundum illud¹¹ nomen eadem est, equivoca autem quorum nomen commune est et ratio substantie diversa. Sed relativum quod potest referri ad diversa antecedentia, habet communitatem in nomine et idemplitatem rationis sivi diffinitionis secundum istud nomen. Sic per diffinitionem univocorum tale relativum est univocum. Quod autem habeat communitatem nominis et idemplitatem <rationis> videtur. De communitate nominis constat, de rationis¹² idemplitate similiter manifestum est. Est enim relativum recordativum termini antecedentis.¹³ Hec autem diffinitio sive¹⁴ ratio sic communis est relati <v> o quod potest referri ad duo antecedentia. Utroque enim modo est recordativum rei antecedentis. Ergo tale relativum sic potens ad diversa referri erit omnino univocum et nullomodo equivocum.

100 Item ad idem. Pronomina relativa et demonstrativa, sicut dicit¹⁵ Priscianus in *Minori volumine*, inventa sunt ad discretionem faciendam. Si enim¹⁶ dicatur: 'Ajax venit ad Troiam, Ajax fortiter pugnavit', dubium est de secundo 'Aiace' utrum teneatur pro primo¹⁷ Aiace vel pro alio. Si autem ita dicatur: 'Ajax fuit ad Troiam, ille fortiter pugnavit', modo certum est quod pro eodem Aiace tenetur, per virtutem relationis. Ex hoc vult Priscianus pronomina esse inventa causa discretionis faciende. Cum ergo discretio opponatur multiplicitati, et pronomina inventa sunt aperte ad multiplicitem evitandam et removendam. Et si hoc, nullum relativum vel demonstrativum erit equivocum.

9. antecedentia] accidentia V

10. *Categ.* 1, 1a1-8

11. illud] idem Vb

12. rationis idemplitate] ratione idemplitatis Vb

13. Cf. Priscianus, *Inst. gramm.* XVII, 56

14. sive ... relativo] sive relatio sic communis est relatio V sed relatio illa communis est relatio b

15. Cf. *Inst. gramm.* XVII, 88

16. enim] autem V

17. primo] proprio V

101 Item ad idem. Si relativum est equivocum, hoc non est a se sed a natura suorum antecedentium, quia si a se haberet: ubicumque poneretur, esset equivocum. Hoc autem falsum. Restat ergo quod habet esse equivocum per naturam suorum antecedentium. Sed [si] sicut dicit¹⁸ Aristotiles in *Primo Posteriorum* ubi probat quod principia magis sciuntur quam conclusiones et + appellat maiorem et minorem illatum sillogismum; dicit ibi quod "propter quod unumquodque est, istud <est> magis". Si ergo relativum est equivocum propter diversa antecedentia, ergo antecedentia magis erunt equivoca. Si ergo antecedentia non sunt equivoca, per locum a minori neque relativum relatum ad ipsa erit equivocum. Sed neutrum antecedentium ad quod relativum apte natum est referri est equivocum. Ergo a fortiori ratione neque relativum ad ipsum relatum erit equivocum.

102 Hoc supposito quod relativum relatum ad diversa antecedentia faciat multipliciter, potest esse dubitatio cuiusmodi fallaciam operetur ista multiplicitas vel duplicitas. Et dicitur communiter quod non operetur fallaciam compositionis sed equivocationis. Et hoc videtur posse ostendi <tal> ratione. Pronomina enim si cadant a demonstratione et relatione, cassa sunt et vana. Pronomina ergo abstracta a demonstratione et relatione non habent certam significationem ex actu demonstrandi vel ex actu referendi. Ex hoc patet quod pronomini relativo relatio sit sua significatio et pronomini demonstrativo demonstratio sit sua significatio. Cum ergo [78vb] diverse significationes alicuius termini faciant equivocationem, videtur quod diversa demonstratio vel diversa relatio faciat fallaciam equivocationis.

103 Hoc habito videtur quod diversa demonstratio vel diversa relatio faciat fallaciam amphibolie. Pronomen enim demonstrativum vel relativum de se non est multiplex, immo sic <ut pre> habitum est, cassum¹⁹ est et vanum²⁰ de se. Sed quando fit multiplex, hoc est secundum applicationem²¹ sui diversis antecedentibus.²² Et secundum quod applicatur orationi, videtur quod sit duplicitas orationis et non termini. Cum ergo duplicitas orationis actualis fallaciam

18. *Anal. Post.* I 2, 72a25-30

19. cassum] cassus V

20. vanum] vanus V

21. applicationem] implicationem V

22. antecedentibus] accidentibus V

amphibolie operetur, videtur quod diversa relatio vel diversa demonstratio debeat operari fallaciam amphibolie.

104 Hoc habito videtur quod talis duplicitas debeat operari potentialem multipliciter. Quando enim aliquod relativum habet duo antecedentia: cum refertur ad unum secundum actum, non refertur ad alterum secundum potentiam, et e converso. Videtur ergo quod ubi est diversa relatio quod ibi sit unus sensus secundum compositionem et reliquus secundum actum. Talis autem multiplicitas potentialis <est> et non actualis. Ergo multiplicitas relationis faciet multipliciter potentialem et non actualem. Ergo compositionem vel divisionem²³ vel accentum.²³ Non accentum, cum ibi non sit diversus modus accentuandi. Ergo operatur²⁴ compositionem vel divisionem.

105 Item. Potest probari quod talis duplicitas debet operari fallaciam figure dictionis. Pronomini enim relativo relatio est sua [ei] significatio. Quod patet. Relativum enim relatum ad aliquod antecedens supponit pro eo pro quo subponit suum antecedens. Cum ergo diverse suppositiones sive diversi modi supponendi in termino fallaciam figure dictionis faciant, videtur quod diversa relatio faciat fallaciam figure dictionis.

106 *Solutio*. Dicendum ad primum quod verum est quod hoc nomen 'qui' tripliciter potest sumi, scilicet interrogative, relative, infinite. Quando autem sumitur interrogative [relative] et infinite, non facit aliquam multipliciter, sed solum quando sumitur relative, et hoc quando relatum est ad diversa antecedentia. Et hec est ratio: hoc enim nomen 'qui' quando sumitur interrogative vel infinite, de se habet significationem vel consignificationem, specificatur tamen per dictionem responsivam; quando autem sumitur²⁵ relative, non habet de se significationem, sed causatur significatio a significatione sui antecedentis. Et hoc concedit auctoritas Prisciani dicentis.²⁶ "si relativum abstrahatur a relatione, cassum est et vanum." Per hoc accidit quod hoc nomen 'qui' quando sumitur relative, potest facere fallaciam aliquam, et non quando sumitur interrogative vel infinite.

23. accentum] actum V

24. operatur] opponatur V

25. sumitur] b simul V

26. ubi?

107 Per hoc patet solutio ad secundum. Licet enim 'animal' possit coartari vel determinari per adiunctionem diversarum specierum, tamen ipsum 'animal' habet de se aliquod significatum determinatum, sed hoc est significatum generale. Sed relativum, licet sit commune ad omnem substantiam significandam, tamen de se non habet certam significationem, sed sumit²⁷ certificationem sue significationis a natura sui antecedentis. Propter hoc non est simile de relativo et de eo quod est 'animal'.

108 Ad tertium dicendum est quod relativum relatum ad diversa antecedentia non [79ra] habet idempitatem rationis sive diffinitionis, licet habeat communitatem nominis. Quod autem obicitur quod utroque modo est recordativum sui antecedentis, (et hoc est ratio sive diffinitio relativi) - dicendum quod hoc quod est recordativum non est eiusdem rationis (et hec est causa quare dicitur referri ad hoc antecedens et ad istud), immo variatur et diversificatur sua significatio per diversitatem antecedentium. Propter hoc non oportet quod relativum relatum ad diversa antecedentia sit univocum et habeat eandem diffinitionem sive rationem, ut prehabuit est.

109 Ad aliud dicendum quod verum est quod pronomina, quantum est de se, nata sunt ad discretionem faciendam nec sunt multiplicabilia, quantum est de se. Et si aliquam habeant multiplicitatem, hoc non est de se sed a natura antecedentium. Et per hoc patet solutio ad illud.²⁸

110 Ad aliud dicendum quod verum <est> relativum non esse equivocum a se sed a natura diversorum antecedentium; et vera est illa auctoritas:²⁹ "propter quod unumquodque, istud est magis". Sed dicendum, licet neutrum antecedentium de se sit equivocum, tamen hoc non est nisi propter defectum ipsorum nominum. Si enim aliquod nomen esset impositum ad illa antecedentia significandum, iam illud nomen causa <re> t equivocationem. Unde ille defectus dupliciter non causatur ab antecedentibus sed potius propter defectum ipsius nominis. [sive de defectu]

111 Ad istud quod queritur cuiusmodi fallaciam operetur dupliciter relativum dicendum quod operatur fallaciam equivocationis. Et bene consentio argumento concludenti hoc.

27. sumit] b fuit V

28. illud] aliud V

29. Arist. Anal. Post. I 2, 72a29-30

112 Ad istud quod obicitur communiter, quod debet facere fallaciam amphibolie eoquod relativum de se non est multiplex sed prout applicatur orationi, - dicendum quod propter hoc non oportet quod faciat amphiboliam. Sicut patet in hoc quod est 'ridere'. 'Ridere' enim significat risum, quantum est de se; potest tamen significare florere prout applicatur orationi. Ut patet cum dicitur 'pratum ridet'. Non propter hoc oportet quod talis duplicitas faciat amphiboliam sed potius equivocationem, quia illa duplicitas non est nisi dictionis, licet ipsa sit prout applicatur orationi. Similiter dicendum est de relativo. Licet enim relatio multiplex sit inquantum applicatur orationi vel non, tamen illa multiplicitas proprie est in dictione, scilicet in ipso relativo. Propter hoc non oportet quod faciat amphiboliam sed potius equivocationem.

113 Ad istud quod obicitur communiter, quod duplicitas relativi debeat facere potentialem multiplicitatem quia quando refertur ad unum secundum actum, non refertur ad alterum nisi secundum potentiam, - dicendum quod istud relativum, quantum est de se, actualiter refertur ad utrumque, sed tamen, quantum est ex parte nostra et ex parte nostre apprehensionis, non refertur ad utrumque secundum actum,³⁰ sed ad unum secundum actum³¹ et ad alterum secundum potentiam. Et hoc est quia non possumus simul apprehendere diversa. Relativum tamen, quantum est de se, actualiter refertur ad [79rb] utrumque antecedens. Et quantum ad hoc operatur actualement³² multiplicitatem et non potentialem.

114 Ad ultimum dicendum est quod pronomini relativo propria sua relatio non est sua suppositio nisi mediante sua significatione. Tunc enim significat idem³³ quod significat suum antecedens. Unde sua relatio est sua specialis significatio. Quam specialem significationem sequitur suppositio et modus supponendi. Propter hoc cum equivocatio, et non figura dictionis, causetur a diversis significationibus, relatio faciet equivocationem et non figuram dictionis.

30. secundum actum] factum V

31. secundum actum] factum V

32. actualement] accidentalem V

33. idem] istud V

DE NONA DISTINCTIONE

De processu a pluribus determinatis ad unam determinatam

115 Item. Solet poni pro regula quod

non tenet processus a pluribus determinatis ad unam determinatam,¹

<sicut hic:> 'homo est Sortes, homo est Plato, et sic de singulis; ergo homo est omnis homo,' quia in premissis li 'homo' habet determinatam, in conclusione similiter, propter hoc non tenet huiusmodi processus impediēte figura[m] dictionis.

116 *Sed contra.* Videtur enim quod talis processus de necessitate teneat. Sicut enim confusa se habet ad confusam, eodem modo se habet determinata ad determinatam. Sicut enim confusum et confusum conveniunt in eodem modo supponendi, ergo qua proportione se habet confusum ad confusum, eadem proportione se habet determinatum ad determinatum. Sed sic se habet confusum ad confusum quod tenet processus a pluribus confusis ad unam confusam de necessitate. Ergo sic se habebit determinatum ad determinatum quod de necessitate tenet a pluribus determinatis ad unam determinatam.²

117 Quod autem a pluribus confusis ad unam³ teneat processus, patet. Sequitur enim: 'omnis homo currit <et> omnis leo, omnis asinus et sic de singulis speciebus; ergo omne animal currit'. Et est ibi processus a pluribus confusis ad unam confusam. Ergo, a simili, videtur quod tenet processus a pluribus determinatis ad unam determinatam.

118 Item ad idem. Quicquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens, sicut quicquid sequitur ad *animal*, sequitur ad *hominem*, et non e converso. Sed confusa⁴ sequitur ad plures determinatas, determinata⁵ autem sequitur ad confusam. Ergo <a> primo ad ultimum: determinata suppositio⁶ sequitur <ad> plures determinatas. Quod autem confusa subpositio sequitur ad plures determinatas videtur. Sequitur enim 'Sortes est animal, Plato est animal; et sic de singulis; ergo

1. unam determinatam [sc. suppositionem]] unum determinatum Vb

2. unam determinatam [sc. suppositionem]] unum determinatum Vb

3. unam] unum V

4. confusa] confusum V

5. determinata] determinatum V

6. suppositio] specie V

omnis homo est animal'; in premissis iste terminus 'animal' habet determinatam suppositionem, in conclusione autem habet confusam, quia confunditur exiliter. Patet ergo quod ex pluribus determinatis sequitur confusa. Similiter ex confusa sequitur determinata. Sequitur enim: 'omnis homo currit; ergo homo currit'; et in prima habet li 'homo' confusam suppositionem, in conclusione autem determinatam. Ergo, per locum a primo ad ultimum, ex pluribus determinatis sequitur una determinata. Et si hoc, tenet processus a pluribus determinatis ad unam determinatam.

119 Item ad idem. Ea que sunt sub eadem specie, magis conveniunt quam ea que sunt sub diversis speciebus. Sed suppositio determinata et determinata sunt sub eadem specie suppositionis, determinata <autem> et confusa sunt sub diversis speciebus suppositionis. Ergo magis conveniunt determinata et determinata quam determinata [79va] et confusa. Sed ea que maiorem habent convenientiam ad aliquam conclusionem, magis sunt apta nata ad inferendum illam conclusionem⁷ quam ea que non habent tantam convenientiam. Sicut patet. Iste autem singulares 'Sortes', 'Plato',⁸ habent maiorem convenientiam cum hac oratione 'omnis homo'⁹ quam iste singulares 'Brunellus', 'Fanellus' et sic de aliis. Propter hoc iste singulares magis apte nate sunt ad inferendum illam conclusionem quam alie singulares. Patet ergo quod ea que bene¹⁰ habent tantam convenientiam ad aliquam conclusionem inferendam, dicunt <ur> magis inferre illam conclusionem quam ea que non habent tantam convenientiam. Cum ergo plures determinate habeant maiorem convenientiam quam determinata cum confusa, ut ostensum est, videtur quod plures determinate inferunt unam confusam. Videtur fortiori ratione quod plures determinate possunt de necessitate inferre unam determinatam.

120 Alio modo potest concludi idem. Plura sunt potentia supra unum quam supra multa. Illud manifestum est in natura. Penes enim homines sunt <plures> potentes supra unum quam supra potentes. Cum ergo in suppositione confusa sint plura supposita, et ut plura, (non enim potest esse confusio nisi in termino habente plura supposita,) in determinata autem suppositione est unum suppositum,

7. conclusionem] constructionem V

8. intelligas: 'Sortes currit', 'Plato currit', etc.

9. intelligas: 'omnis homo currit'

10. bene] non V

et ut unum, suppositio determinata minus potens est supra plura quam suppositio¹¹ confusa, in qua sunt plura ut plura. Cum ergo plures determinate¹² potentes sunt supra unam confusam, ita quod inferunt illam ex necessitate, non ratione simili sed ratione fortiori plures determinate potentes sunt supra unam determinatam, ita quod inferant illam ex necessitate.

121 Item. Queritur cuiusmodi fallaciam duplicitas illa operetur. Et dicitur quod fallaciam figure dictionis. Sed contra. Dicit¹³ enim Aristotiles in *Libro Elenconum* quod fallacia figure dictionis provenit ex eo quod dissimilia interpretantur esse similia, ut *quale quantum*, vel quando una species predicamenti mutatur in aliam speciem eiusdem predicamenti, ut continuum in discretum. Sed in processu qui¹⁴ est a pluribus determinatis ad unam determinatam, non interpretantur dissimilia esse similia, immo potius similia interpretantur esse similia. Ergo in tali processu non incidet figura dictionis.

122 Solutio. Ad primum dicendum quod in veritate non tenet processus a pluribus determinatis ad unam determinatam, immo est ibi figura dictionis, sicut inferius patebit.

123 Ad istud quod obicitur primo, dicendum est quod hec est duplex: "sicut se habet confusum ad confusum, sic se habet determinatum ad determinatum" ex eo quod hec dictio 'sicut' potest dicere similitudinem universaliter vel particulariter. Si autem dicat similitudinem universaliter, sic est falsa, sub hoc sensu 'sicut se habet confusum etc.', idest: *omni <no> eodem modo se habet determinatum ad determinatum etc.* Et sic sequitur conclusio. Si autem hec dictio 'sicut' dicat similitudinem particulariter, sic est vera, sub hoc sensu 'sicut se [79vb] habet confusum ad confusum etc.', idest: *aliquo modo se habet confusum ad confusum etc.* Et sic vera et non sequitur conclusio sic, impediente fallacia consequentis, vel impediente inutili coniugatione.¹⁵ Non enim ex omnibus parti<culari>bus sequitur conclusio, sed est ibi inutilis coniugatio, sicut dicit¹⁶ Aristotiles in *Prioribus*.

11. suppositio confusa] supponit confusam V

12. determinate] determinata V

13. *Soph. El.* 4, 166b10-11

14. qui] que V

15. coniugatione] coniunctione V

16. Cf. *Anal. Post.* II 8, 59b37sq

124 Ad aliud dicendum quod verum est quod quicquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens. Sed hoc est quando non variatur medium.¹⁷ Ubi enim etiam variatur medium non est <illatio>, immo est ibi fallacia accidentis. Licet ergo confusa sequatur ad determinatam et determinata ad confusam, non propter hoc oportet quod determinata¹⁸ sequatur a determinatis, secundum quod in tali processu incidit figura dictionis. Illa enim determinata que consequitur ex confusa, non est eadem cum illa determinata que infertur apparenter ex pluribus determinatis, sed est diversa ab ea. Propter hoc ergo quod variatur hoc quod est '*determinatum*' in illa argumentatione, est fallacia accidentis ex illa varietate.

125 Ad aliud dicendum quod in veritate plures determinate magis conveniunt cum confusa quam cum determinata in aliquo,¹⁹ determinata vero magis conveniunt cum determinata quam cum confusa, loquendo de convenientia quantum ad modum supponendi. Determinate autem magis conveniunt cum confusa quam cum determinata, loquendo de convenientia que est quantum ad modum inferendi.

126 Per hoc patet solutio ad aliud obiectum, quod verum est quod plura sunt potentia supra unum quam supra multa, retentis eisdem conditionibus in uno et in pluribus. Sed quia plures determinate in pluribus conveniunt conditionibus cum confusa, in qua <ntum> sunt plura, quam cum determinata, in qua <ntum> est unum, quantum ad naturam inferendi, propter hoc plures determinate potentes sunt supra unam confusam, quantum ad illationem, quam determinate.

127 Ad ultimum dicendum est quod fallacia dictionis accidit ex hoc quod dissimilia interpretantur esse similia, et in processu huiusmodi interpretantur dissimilia esse similia. Licet enim ibi non commutetur unum predicamentum in aliud, tamen mutatur ibi una species in aliam speciem eiusdem predicamenti, ut *hoc aliquid* in *quale quid*. Cum enim dicitur: 'homo est Sortes, homo est Plato, et sic de singulis; ergo homo est omnis homo', in premissis iste terminus 'homo' supponit *hoc aliquid*, cum supponat pro individuis, in conclusione autem supponit *quale quid*,²⁰ cum supponat pro communi et universali. Que sunt diverse species substantie, quoniam²¹ sunt²² prima substantia et secunda. Et ita patet quod in tali

17. medium] modum V

18. determinata] determinate V

19. aliquo] alio V

20. quid] quantum V

21. quoniam] b quam V

processu interpretantur dissimilia esse similia. Quare est ibi fallacia figure dictionis.

DE DECIMA DISTINCTIONE

De illatione facta a suppositione immobili

126 Queritur de illa regula qua dicitur quod

non tenet illatio¹ a suppositione immobili ad determinatam, sive ab immobili ad mobile < m >.

Unde non sequitur: 'omnis homo est animal; ergo animal est omnis homo', quia in prima 'animal' habet suppositionem immobilem a signo precedente et in conclusione habet [80ra] suppositionem determinatam, cum non possit confundi a signo subsequente. Et notandum quod in tali casu processu < s >² non dicitur procedere a suppositione < im > mobili³ ad mobilem, quia proceditur a suppositione confusa immobiliter ad suppositionem confusam mobiliter, sed quia proceditur a suppositione confusa immobiliter ad suppositionem immobilem tamquam mobilem. Sicut patet in huiusmodi sophismatibus 'QUICUMQUE HOMO HABET FILIUM DILIGIT ILLUM; ergo nullus homo habet filium quin diligit illum', 'OMNE VERUM DIFFERT A FALSO ET⁴ EST COMPOSSIBILE ILLI; ergo nullum verum etc.'.

129 Sed contra istas rationes obicitur sic. Divisa enim materia dividitur forma illius. Sicut patet in natura. Divisio enim pariete dividitur albedo existens in illo. Ergo cum subiectum se habeat ad modum materie, predicatum ad modum forme, ad divisionem subiecti sequitur divisio predicati. Cum ergo in hac 'omnis homo est animal' li 'homo', qui est subiectum, dividitur, a < d >⁵ divisione < m > eius sequitur divisio predicati. Cum ergo subiectum dividatur mobiliter, et predicatum dividetur mobiliter. Ergo in hac 'omnis homo est animal' li 'animal' habebit suppositionem confusam mobiliter. Sed ex tali suppositione sequitur determinata suppositio ex necessitate. Sequitur ergo: 'omnis homo est animal; ergo animal est omnis homo'. Per hoc item probari potest quod tenet processus a suppositione confusa immobiliter ad suppositionem confusam mobiliter.

130 Item ad idem. Duplex est motus⁶ in natura, scilicet motus sursum et

1. illatio a] b nulla autem V

2. processu < s >] b

3. < im > mobili] b

4. et ... illi] V om. b

5. a < d > divisione < m >] b

6. motus] modus V

motus deorsum. Motus deorsum est sicut lapis naturaliter movetur deorsum. Motus autem sursum est sicut ignis, qui naturaliter movetur sursum. Sic autem est quod ignis simpliciter dicitur esse mobilis, non quia posset moveri motu sursum et motu deorsum. Cum ergo ars imitetur naturam: si aliquid sit in arte in quo posset fieri motus sursum et non motus deorsum, est simpliciter mobile, sicut erat ex parte nature. Cum ergo in hac: 'omnis homo est animal' iste terminus 'animal' potest esse mobilis quantum ad motum sursum, licet non quantum ad motum deorsum, est simpliciter mobilis. Quod autem in ipso sit motus sursum patet. Sequitur enim: 'omnis homo est animal; ergo omnis homo est corpus; ergo omnis homo est substantia', et ita ascendendo. Et sic videtur quod li 'animal' sit mobile simpliciter. Et ita habebit suppositionem [et] confusam mobiliter. Et ita redibit idem quod concludebat ratio que precessit.

131 Item ad idem. Videtur quod signum universale possit confundere terminum communem precedentem mobiliter sive subsequentem mediate. Dicitur enim communiter quod

signum universale non habet confundere terminum communem nisi constructionem habeat cum ipso.

Hoc manifestum est. Si enim dicatur 'omnis homo currit et homo disputat', non confunditur iste terminus 'homo' ultimo positus ab hoc signo 'omnis'. Et huius est ratio quia non habet constructionem cum ipso, cum non sit ordinatus⁷ in sua clausula. Patet [80rb] ergo quod signum universale non habet confundere terminum communem nisi habeat constructionem cum ipso. Ergo solummodo confundit terminum communem cum⁸ quo habet constructionem. Ergo ubi remanebit eadem constructio, et remanebit eadem confusio. Sed in istis duabus locutionibus 'omnis homo est animal', 'animal est omnis homo' signum universale eandem habet constructionem cum hoc termino 'animal', quia utrobique construitur intransitive. Ergo remanebit eadem confusio.⁹ Ergo remanebit processus inferendo unum ex altero.

132 Similiter potest ostendi per hoc quod tenet illatio in huiusmodi sophismatibus: 'CUIUSLIBET HOMINIS ASINUS CURRIT: ergo asinus cuiuslibet

7. ordinatus] b ordinatum V

8. cum] in V

9. confusio] constructio V

etc.; 'AB UTROQUE ENUNTIATUM EST VERUM; ergo enuntiatum ab utroque'; 'NULLUM CAPUT HABENS *etc.*; ergo habens nullum *etc.*'; 'NULLUM HOMINEM VIDENS *etc.*; ergo videns *etc.*'; et in similibus.

133 Item alia ratione potest concludi idem. Adiectiva in quibus vel a quibus fit¹⁰ restrictio contra sua substanti<v>a, restringunt sua substantiva, sive prepona<n>tur sive postpona<n>tur, dum eadem manet constructio. Quare¹¹ eadem manebit confusio. Et ita redibit idem quod prius.

134 Item. Sicut contingit signum universale confundere terminum communem quantum ad principalem significationem, eodem modo contingit quantum ad consignificationem signum universale confundere terminum communem. Quod patet. Posito quod omnes homines currant, ita quod unus currat in A et alius in B, et sic de unoquoque, et sint A et B instantia futura, hec habet concedi: 'omnis homo curret'. Tamen si hoc verbum 'curret' copulet pro aliquo tempore determinato, falsa est simpliciter. Hec enim est falsa: 'omnis homo curret in A' vel 'in B', et quilibet consimilis. Restat ergo quod hoc verbum 'curret' confunditur immobiliter quantum ad tempus consignificatum per ipsum. Et ita patet quod contingit terminum communem confundi quantum ad consignificationem sicut quantum ad significationem.

135 Et sicut hec potest concedi: 'omnis homo curret', retenta priori positione, similiter hec habebit concedi: 'SORTES VIDEBIT OMNEM HOMINEM', posito quod Sortes videat unum¹² hominem una vice et alium alia vice, et sic deinceps. Et quod debeat concedi potest probari inductive sic. 'Sortes videbit Platonem, Sortes videbit Ciceronem, et ita de aliis'. Tamen ipsa esset falsa simpliciter secundum hoc quod hoc verbum 'videbit' copularetur determinate pro uno tempore. Hec enim est falsa simpliciter: 'Sortes videbit omnem hominem in B', et quilibet consimilis.

136 Restat ergo quod <cum> confunditur hoc verbum 'videbit' quantum ad tempus consignificatum per ipsum, non est nisi a distributione¹³ consequente, cum ibi non sit alia¹⁴ natura confundendi. Cum ergo signum universale possit confundere terminum communem precedentem <quantum ad consignificationem,

10. fit] fuit V

11. quare] quod V

12. unum] omnem V

13. distributione] destructione V

14. alia] aliqua V

eodem modo potest confundere terminum communem precedentem > quantum ad significationem principalem. Et si hoc, confundetur¹⁵ iste terminus 'animal' in hac: 'animal est omnis homo' [80va] a distributione sequente. Et ita redibit idem quod prius.

137 Item. Hec potest concedi: 'SILLOGISMUS FIT IN OMNI FIGURA'.¹⁶ Tamen si iste terminus 'sillogismus' determinate supponeret, ipsa esset falsa simpliciter. Hec enim est falsa simpliciter: 'omnis sillogismus fit in omni figura'.¹⁶ Restat ergo quod iste terminus 'sillogismus' non supponit determinate. Ergo quodammodo attingitur et confunditur iste terminus 'sillogismus' a distributione subsequente. Ergo distributio potest confundere terminum communem precedentem immobiliter sicut et subsequentem. Ergo¹⁶ in hac: 'animal est omnis homo' confunditur immobiliter li 'animal', sicut in hac: 'omnis homo est animal'.

138 *Solutio*. Dicendum in veritate quod non tenet processus a suppositione confusa immobiliter ad suppositionem determinatam, nec a suppositione confusa immobiliter ad suppositionem confusam mobiliter, impediens figura dictionis vel fallacia consequentis quantum ad universalem processum.

139 Ad illud¹⁷ quod obicitur primo, quod huiusmodi debeat tenere quod divisa materia dividitur forma, dicendum quod hoc verum est in ratione et in natura. Unde si dicatur 'omnis homo est animal', ad divisionem *hominis* sequitur divisio *animalis*. Unde diviso homine in Sortem et Platonem dividetur ipsum *animal*. Tamen ipsum *animal* de se manet immobile. Non enim potest prius¹⁸ fieri motus <in eo> nisi facto motu in homine. Non enim sequitur: 'omnis homo est animal; ergo omnis homo est hoc animal vel istud'. Et propter hoc iste terminus 'animal' dicitur immobilis esse, licet sit mobilis facto motu in *homine*.

140 Ad secundum dicendum est quod in veritate duplex est motus in natura, scilicet motus sursum et motus deorsum. Motus autem in ratione, qui motus dispositio dicitur <ad> esse mobile, non assimilatur¹⁹ utrique motui naturali, sed solummodo motui deorsum. Unde dicitur esse <im> mobilis in ratione qua

15. confundetur] confunderetur V

16. figura] fallacia V

16. ergo] et V

17. illud] b aliud V

18. prius] post V *secl. b*

19. assimilatur] assimilatur (I) V

prohibetur²⁰ esse motus inferior, et non motus superior. Quia ergo in hac: 'omnis homo est animal' prohibetur motus inferior, licet non motus superior, propter hoc dicitur esse iste terminus immobilis.

141 Ad tertium dicendum est quod signum universale non habet confundere terminum communem nisi habeat constructionem cum ipso, et hoc mediate vel immediate. Unde non oportet quod ubi²¹ <remanet eadem constructio, quod ibi> remanet eadem confusio. Impeditur enim per prepositionem et postpositionem signi universalis, quia prepositio et postpositio signi universalis multum confert ad confusionem vel non-confusionem. Et propter hoc non oportet quod, si remaneat eadem constructio, quod eadem maneat²² confusio.

142 Ad quartum dicendum quod adiectivum, sive preponatur sive postponatur suo substantivo, dum ei adiungatur immediate, semper habet naturam restringendi istud substantivum. Unde ad hoc quod restringat suum substantivum, non requirit²³ nisi immediationem ipsius cum suo substantivo. Confusio autem designata per signum respicit terminum sequentem et precedentem. Et hoc est quia illa confusio proprie est dispositio subiecti in comparatione ad predicatum. Unde respicit <terminum> precedentem immediate, predicatum mediate. Propter hoc signum non confundit indifferenter terminum [80vb] precedentem et terminum subsequenter, manente eadem constructione utrobique, licet ita contingat quod adiectiva apta nata sunt restringere substantiva.

143 Ad aliud dicendum est quod cum dicitur <ur>: 'Sortes videbit'¹⁶ omnem hominem', re<te>nta priori positione, confunditur li 'videbit' quantum ad consignificationem a distributione subsequente, et etiam confunditur quantum ad principalem significationem. Hec enim est ratio: hoc verbum 'videbit' copulat duplicem visionem, unam activam et aliam passivam. Activa visio est in Sorte, passiva visio est in omni homine tamquam in subiecto¹⁷ proprio. Et quantum ad illam visionem confunditur hoc verbum 'videbit' a distributione subsequente. Et hoc est quia confuso subiecto confunditur accidens existens in eodem subiecto. Cum

20. prohibetur] exhibetur V

21. ubi] nisi V

22. maneat] maxima V

23. requirit] queret V

ergo hoc quod dico 'omnem hominem' sit subiectum respectu visionis passive et ad confusionem illius subiecti sequitur confusio illius accidentis, propter hoc confunditur li 'videbit' quantum ad significationem et consignificationem a distributione subsequente. Nec est simile in aliis distributionibus sequentibus, ut in hiis: ANIMAL EST OMNIS HOMO, ASINUS CUIUSLIBET HOMINIS CURRIT, eoquod iste terminus 'animal' in hac: 'animal est omnis homo' non eodem modo comparatur ad distributionem subsequentem sicut comparabatur hoc verbum 'videbit' in alia locutione ad distributionem subsequentem. Non enim se habet 'animal' per modum accidentis ad distributionem subsequentem, sicut se habebat li 'videbit' ad suam distributionem subsequentem.

144 Ad aliud quod obicitur dicendo²⁵ scilicet 'silligismus fit in omni figura',²⁶ que habet concedi simpliciter; que non concederetur si iste terminus 'sillogismus' teneretur determinate, - dicendum est quod in veritate li 'sillogismus' non determinate supponit nec confunditur immobiliter a distributione subsequente, sed tenetur simpliciter, non pro hoc sillogismo nec pro illo, sed pro sillogismo in communi. Et ita non habebis quod confundatur iste terminus 'sillogismus' a distributione subsequente, sed tenetur simpliciter.

25. dicendo] dicendum V

26. figura] fallacia

DE UNDECIMA DISTINCTIONE

Utrum ex impossibili sequatur quidlibet

145 Consequenter queritur de illa regula que dicit quod

ex impossibili sequitur quidlibet.

Unde hoc sequitur: 'si homo est asinus, homo est capra'. Et quod illa regula habeat veritatem potest ostendi sic. Hec conditionalis est vera: 'si Sortes est asinus, Sortes est capra', in qua antecedit impossibile. Et probatur sic: si Sortes est asinus, Sortes est asinus vel est capra. Et sequitur illa¹ argumentatio per locum a parte subiectiva, sive per locum a parte disiunctiva, quod idem est. Deinde sumatur hec: 'sed Sortes non est asinus', que est vera simpliciter. Ergo a primo: si Sortes est asinus, Sortes est capra. Similiter de quolibet alio potest ostendi sic. Si Sortes est asinus, Sortes est homo, quia si Sortes est Sortes, Sortes est asinus vel homo. Sed Sortes non est asinus. Ergo est homo. Ergo a primo: si Sortes est asinus, Sortes est homo.

146 Item. Ad ostendendum regulam esse veram,² per locum a minori. Maxima de loco a minori talis est: *si id quod minus videtur inesse, inest, et istud quod magis videtur inesse, inest*. Sed magis videtur quod homo insit Sorti quam asinus. Ergo si asinus inest Sorti, homo inest eidem. Ergo, per locum a minori, si Sortes est asinus, Sortes est homo.

147 Item. Probari potest ista regula per locum a simili. Maxima de loco a simili talis est: *si aliqua duo similiter comparantur [81ra] ad aliquod tertium:³ si unum insit, reliquum inest*. Sed ista duo, *asinus* et *capra* similiter comparantur ad Sortem, quia in eadem habitudine. Ergo si unum insit, et reliquum. Ergo si *capra* insit Sorti, *asinus* inest Sorti. Ergo sequetur per locum a simili: 'si Sortes est asinus, Sortes est capra'.

148 Item. Potest ostendi per considerationem quandam ab Aristotele sumptam in fine tertii <Topiconum>, ubi dicit: "et amplius ex ypothesi considerandum est". Et est talis consideratio: si aliquod predicatum secundum eandem causam inest eis de quibus dicitur: si istud predicatum ostendetur de uno, et de quolibet ostendetur

1. illa] b alia V

2. veram] nullam V

3. tertium] tantum V

nec oportet inducere in omnibus. Verbi gratia. Esse immortale secundum eandem causam comparatur anime Sortis et anime Platonis, et sic de aliis animabus. Ergo si esse immortale ostendatur esse de una, et de qualibet ostendetur. Et sequetur ergo: 'si anima Sortis est immortalis, et quelibet anima'. Ergo cum aliqua⁴ que impossibile est dici de Sorte, eandem habent⁵ comparisonem ad Sortem: si unum ostendatur de illo, et quidlibet ostendetur de illo eodem. Ergo sequitur: 'si Sortes est asinus, Sortes est capra et leo, et ita de aliis'.

149 Item. Arguatur sic. Si Sortes est asinus, Sortes est. Et sequitur istud per locum a parte subiectiva. Et si Sortes est, Sortes est Sortes, per locum a pari. Et si Sortes est Sortes, Sortes est homo, per locum a parte subiectiva. Et si Sortes est homo, Sortes non est asinus, per locum ab oppositis. Ergo a primo ad ultimum: si Sortes est asinus, Sortes non est asinus. Cum ergo Sortem non esse asinum sequitur ex impossibili quod est ei contradictorie oppositum, ratione fortiori omnia alia debent sequi ex illo impossibili, cum minus repugnet illi impossibili alia omnia quam suum contradictorie oppositum. Et ita patet quod ex impossibili sequitur quidlibet.

150 Item. Alia ratione potest concludi idem. Illa conditionalis est vera in qua antecedens non potest esse verum sine consequente, falsa autem quando antecedens potest esse verum sine consequente. Sed in condicionali in qua antecedit impossibile et sequitur aliud, <illud> non potest esse verum sine consequente, quia non potest esse verum; ergo non potest esse verum sine consequente. Ergo conditionalis in qua antecedit impossibile, dicitur esse vera. Ergo conditionalis in qua antecedit impossibile, dicitur esse vera. Ergo hec est vera: 'si Sortes est asinus, Sortes est homo vel Sortes est capra'.

151 Si autem concedatur propter rationes adductas quod ex impossibili sequitur quidlibet, adducantur rationes in contrarium. Prima sic. Ex omni condicionali contingit transformare argumentum. Cum ergo ista sit condicionalis: 'si Sortes est asinus, Sortes est capra', ex illa contingit transformare argumentum [non hoc sic non hoc] sic: 'Sortes est asinus; ergo Sortes est capra'. Cum ergo hec sit categorica, argumentatio erit aliqua⁶ argumentationum quatuor. Ergo erit

4. aliqua] anima V

5. habent] habeat V

6. aliqua] b alia sic saepius V

entimema, vel exemplum, vel inductio, vel sillogistica. Non sillogistica, quia non sunt ibi due propositiones ordinate ad conclusionem in modo et figura. Ergo erit aliqua < alia > trium argumentationum. Sed sub quacumque contineatur, reduci debet in sillogismum. Sed ad hoc quod reducatur in sillogismum, oportet quod apponatur una propositio, que erit: 'omnis homo est asinus'. Huic autem⁷ compositioni non consentit aliqua veritas vel virtus anime, immo semper negabit illam compositionem, cum ibi predicetur oppositum de opposito, et affirmative. Et si hoc, videtur quod secundum veritatem non possit illa argumentatio reduci in sillogismum nisi mediantibus falsis propositionibus. Ergo non est contenta sub aliqua specie argumentationis. Ergo conditionalis a qua transformatur illa argumentatio, erit falsa.

152 Item. Si predicta est argumentatio, aut est localis aut complexionalis. Non complexionalis [81rb] < idest > argumentatio sillogistica. Si est localis, queritur "unde locus?" Et non est assignare. Non enim est ibi locus ab oppositis, sicut quidam volunt. In loco enim ab oppositis inferens vel illatum debet esse negativum. Cum ergo in predicta argumentatione nec inferens nec illatum sit negativum, non erit argumentatio localis in qua fit⁸ locus ab oppositis. Ut si aliquis concederet aliquod predicatum⁹ inesse alicui subiecto, negatur oppositum illius predicatorum¹⁰ convenire eidem. Contingente autem¹¹ quod aliquis concederet hanc: 'Sortes est asinus', negabit oppositum predicatorum inesse eidem subiecto; cum ergo 'capra' sit oppositum predicatum ei quod est 'asinus', non debet concedi hec conditionalis: 'si Sortes est asinus, Sortes est capra', sed potius: 'si Sortes est asinus, Sortes non est capra'.

153 Item. Hec coniunctio 'si' est coniunctio denotans ordinem, sicut dicit¹² Priscianus in *Maiori*. Ubi autem est ordo, ibi est prius et posterius. Ergo [cum]¹³ coniunctio 'si' dicit ordinem prioris ad posterius. Impossibile est autem prius et posterius respectu istius impossibilis vel respectu veri, cum impossibile non habeat

7. autem] V om. b

8. fit] V sit b

9. predicatum] b predicamentum V

10. predicatorum] b predicamenti V

11. autem] b aut V

12. Inst. gramm. XVI, p. 24, 15-17

13. cum] del. b

ordinem cum ipsis. Ergo hec coniunctio 'si' [unum non est]¹⁴ numquam dicet ordinem impossibilis ad impossibile vel ad verum. Ergo hec conditionalis erit falsa virtute coniunctionis <'si'>: 'si Sortes est asinus, Sortes est capra', cum extremitates non sint ordinate secundum prius et posterius.

154 Item. Causa et causatum sunt de primis divisionibus entis; entium enim aliud causa aliud causatum. Ergo ubi non erit ens, ibi non erit causa vel causatum, quia ubi non est superius, ibi non est sui inferius. Cum ergo in impossibili¹⁵ non reperiatur ens, non reperiatur causa vel causatum. Cum ergo hec coniunctio 'si' sit causalis, debet habere habitudinem cause ad causatum. Talis autem habitudo non reperiatur in impossibilibus, ut prehabitu est. Ergo hec coniunctio 'si' non potest conditionare impossibile alicui alteri. Et si hoc, illa conditionalis est falsa in qua antecedit impossibile et sequitur aliud.

155 Item. Antecedens et consequens, sive antecessio et consecutio,¹⁶ sunt forme relative, sicut paternitas et filiatio. Antecedens enim refertur ad consequens et econverso, sicut *pater* ad *filiu*m. Forme autem relative insunt substantiis existentibus, sicut paternitas et filiatio. Cum ergo impossibilia sint non-entia, non poterit esse consecutio et antecessio in impossibilibus. Ergo impossibile non poterit esse antecedens vel consequens in condionali. Et si hoc, ex impossibili nichil sequitur.

156 *Solutio*. Dicendum quod in veritate secundum opinionem quorundam, nominalium scilicet, ex impossibili sequitur quidlibet. Tamen secundum veritatem ex impossibili nichil sequitur; et hoc est secundum opinionem realium. Quod autem¹⁷ sit verum potest manifestari per ea que sunt in naturis, ad quorum proportionem et quorum similitudinem sumuntur ea que sunt in arte sive in logicis. In naturis enim sic est quod non contingit oppositas species in eodem salvari subiecto. Sicut si in aliquo subiecto reperiatur caliditas, non reperiatur opposita species in eodem subiecto, scilicet frigiditas. Similiter erit in logica quod opposite species non poterunt salvari in eodem subiecto. Ergo ad *esse asinum in Sorte* non debet sequi hoc consequens: *esse capram in Sorte*, cum *asinus* et *capra* sint diversarum specierum. Ergo ad positionem unius non sequitur positio alterius in eodem, sed

14. unum non est] b

15. impossibili] b illius ypotesi V

16. consecutio] b concessio V

17. autem] V cum b

potius illius privatio. Et bene consentio rationibus concludentibus quod <ex>¹⁸ impossibili nichil sequitur.

157 Ad illud [81va] quod obicitur primo, dicendum est quod hec est falsa: 'si Sortes est asinus, Sortes est capra'. Hec autem que sumitur ad eius probationem 'si Sortes est asinus, Sortes est asinus vel capra', vera est simpliciter et necessaria. Similiter hec est vera simpliciter: 'sed Sortes non est asinus'. Sed¹⁹ ad hoc quod ipse inferat *Sortem esse capram* ponit oppositum antecedentis prime conditionalis *Sortem esse asinum*, ut²⁰ oppositum antecedentis sumatur in effectum. Per hoc patet solutio ad primam rationem concludentem quod ex impossibili sequitur quidlibet.

158 Ad secundum dicendum est <quod> non est ibi locus a minori. Et solvenda est illa ratio, interimendo istam: 'magis inesse videtur homo Sorti quam asinus',²¹ quia dicit²² Aristotiles in libro *Topiconum*: "si aliquid secundum maius et minus dicitur inesse, simpliciter inest". Unde cum asinus nullo <modo> videatur inesse Sorti, nec est secundum magis vel minus. Propter hoc non habetur per locum a minori quod hec sit vera: 'si Sortes est asinus, Sortes est homo'.

159 Ad aliud dicendum quod simile non valet. <Ad hoc enim quod sit locus>²³ a simili oportet quod illa que similiter comparantur ad aliquod tertium,²⁴ insint illi tertio aut secundum quid aut simpliciter. Cum ergo ista duo, *esse asinum* et *esse capram*, neque secundum quid neque simpliciter insint Sorti, nec inerunt ipsi Sorti similiter.

160 Ad aliud dicendum quod ratio sumpta ex ypothesi, non valet. Debet enim sic intelligi. Si aliqua duo²⁵ predicata insunt secundum eandem causam alicui: si ostendatur unum de uno, et per consequens reliquum de eodem ostendetur, ita scilicet quod illa²⁶ duo predicata secundum veritatem illi subiecto insunt. Et

18. ex] b om. V

19. sed] et Vb

20. ut] cum Vb

21. asinus] alius V

22. ubi?

23. ad hoc ... locus] suppl. soluta V

24. tertium] tantum V

25. duo] uno V

26. illa] ille V

<quia> hic appellantur inesse secundum eandem causam ea²⁷ que non insunt, non valebit ratio sumpta ex ypothesi.

161 Ad aliud dicendum est quod in veritate hec est vera: 'si Sortes est, Sortes est Sortes', hec autem repugnat: 'si Sortes est Sortes, Sortes est homo'. Et ita patet responsio ad illam rationem.

162 Ad ultimum dicendum quod in veritate verum est quod illa conditionalis est vera in qua condicionali antecedens non potest esse verum sine consequente. Sed intelligendum est de illo antecedente quod potest esse verum. Quia ergo impossibile non potest esse verum, non est intelligenda regula de impossibili antecedente, quod antecedens nullomodo potest esse verum.

DE DUODECIMA DISTINCTIONE

Quod aliqua locutio potest intelligi de re vel de dicto

163 Consequenter queritur

de illa distinctione que solet fieri in illis locutionibus in quibus ponuntur modi facientes propositiones modales, ex eo quod possunt intelligi de re vel de dicto.

Verbi gratia. Cum enim dicitur ALBUM ESSE NIGRUM EST POSSIBILE, hec oratio est duplex ex eo quod potest intelligi de re vel <de> dicto. In illa autem de re sensus est: 'album possibile est esse nigrum', idest: *rem que est alba, possibile est esse nigram*;¹ et sic est vera, cum propositio sit vera a qua descendit, hec scilicet: 'album potest esse nigrum'. Si autem intelligatur de dicto, sic [81vb] dictum subicitur et modus predicatur, in hoc sensu: *hoc dictum 'album esse nigrum' est possibile*, et sic est falsa et impossibilis, cum propositio a qua descendit sit impossibilis, hec scilicet: 'album est nigrum'. Et in hoc sensu est composita, intellecta autem de re est divisa. Unde talis solutio² facit fallaciam compositionis et divisionis.

164 *Sed contra.* Videtur quod nulla est ista distinctio.³ Dicit⁴ enim Aristotiles in libro *Elenconum* quod "ad omnes orationes que propter idem, eadem est solutio". Unde ibi vult quod ad omnes parallogismos factos secundum aliquam fallaciam, eadem est solutio. Unde ibi reprobatur Aristotiles quosdam solventes quorum solutio non competit omnibus orationibus vel parallogismis eiusdem fallacie. Unde ista distinctio, scilicet quod potest aliqua locutio intelligi de re vel de dicto, non competit omnibus parallogismis factos secundum compositionem et divisionem. Non enim competit huic: 'duo et tria sunt quinque' nec huius⁵ consimilibus. Secundum hoc videtur quod ista distinctio non sit solutio, cum non competat omnibus parallogismis fallacie compositionis et divisionis.

165 Item ad idem. Huiusmodi solventes dicunt quod est vera de re et falsa de

1. nigram] b nigrum V

2. solutio] divisio Vb

3. distinctio] divisio V

4. *Soph. El.* 20, 177b31-32

5. huius] huiusmodi V

dicto, vel e converso. *Sed contra.* Habetur⁶ enim in libro *Peryarmentias* quod oratio <vera> sive veritas⁷ est adequatio⁸ rei et intellectus. Unde si oratio est vera, et res subiaccens illi orationi est vera. Cum ergo oratio sit signum, res autem significatum, et posita veritate in signo, ponitur veritas consequenter in significato. Ergo cum omne⁹ dictum sit oratio, omne dictum erit signum. Cum ergo signum sit: ergo posita veritate in dicto ponetur et in re, et posita falsitate in dicto debet poni in re. Item. Sicut dicit¹⁰ Boetius, veritas est adequatio rei et sermonis. Unde a re causatur falsitas et veritas existens in sermone. Ergo, posita veritate in re, debet poni in sermone consequenter; et similiter de falsitate. Ergo se aliqua oratio sit vera de re, et erit vera de dicto; et si falsa de dicto, erit falsa de re.

166 Item ad idem. Videtur quod non sit distinctio. Non enim potest fieri inter ea que se habent per se et per accedens. Verbi gratia, inter enim ista duo *tenere frenum, tenere equum* non habet fieri divisio. Et hoc est quia ista¹¹ coniuncta sunt et non separata;¹² per enim "qui¹³ tenet equum, tenet frenum". Cum ergo veritas sit in re, mediate fit in sermone. Et hoc est quod dicit¹⁴ Aristoteles in *Predicamentis*: "ab eo quod res est vel non est dicitur oratio vera vel falsa". Cum ergo vera <per se> sit in re, per accedens autem in sermone, videtur quod inter talia non debeat fieri divisio, et ita neque distinctio.

167 *Solutio.* Ad primum dicendum est quod bona est predicta distinctio, scilicet quod

aliqua locutio potest intelligi de re vel de dicto.

Ad illud¹⁵ quod obicitur primo, [82ra] dicendum est quod verum est, sicut dicit¹⁶ Aristoteles, quod ad omnes parallogismos eiusdem fallacie eadem solutio est. Sed¹⁷

6. Cf. *De interpr.*, 9, 19a33

7. veritas] unio V

8. adequatio] significatio V

9. omne] esse V

10. Cf. *In Arist. Periherm.* II, 246, 20sq

11. ista coniuncta] isti coniuncti V

12. separata] separati V

13. qui] quod V

14. *Categ.* 5, 4b8-10; 12, 14b20-22

15. illud] aliud V

16. *Soph. El.* 20, 177b31-32

17. sed] secundum V

hoc intelligendum <est> de solutione communi et non de solutione speciali. Unde ad omnes parallogismos eiusdem fallacie equivocationis debet esse eadem solutio communis, scilicet "aut sic aut non". Similiter etiam¹⁸ de parallogismis aliarum fallaciarum. Quod ergo ista locutio¹⁹ possit intelligi de re vel de dicto, est <solutio> specialis et non communis, neque²⁰ oportet quod communicet omnibus parallogismis fallacie compositionis et divisionis. Communis autem solutio ad omnes parallogismos compositionis vel divisionis est dando oppositum, ut dicit²¹ Aristotiles: si sit in sensu compositionis, dandum est oppositum, scilicet sensum divisionis.

168 Ad aliud dicendum quod duplex est res, scilicet complexa et incomplexa. Res autem complexa est secundum quod dicitur: "dictum est signum rei". Oratio enim significat rem complexam. Et de tali re sequitur quod si res est vera, quod oratio est vera, et si falsa, est oratio falsa. Est autem quedam res incomplexa, sicut res ipsius subiecti. Et de tali re intelligitur cum dicitur quod propositio potest intelligi de re vel de dicto. Et a tali re non causatur veritas vel falsitas in oratione.

18. etiam] autem V

19. locutio] solutio V

20. neque] non V

21. *Soph. El.* 20, 177a33-35

DE TREDECIMA DISTINCTIONE

Utrum li 'omnis' exigit multitudinem actualem

169 Queritur utrum hoc signum 'omnis' exigit multitudinem actualem, ita quod bene¹ sequatur: 'omnis homo; ergo ille et iste'. Et dicunt quidam quod non, sed sufficit intellectualis et potentialis, ut patet hic 'omnis sol', 'omnis luna', 'omnis fenix'.

170 Sed contra. Videtur quod exigit multitudinem actualem et quod sequatur: 'omnis homo; ergo ille et ille'. Duplex est multitudo. Una determinata. Ut² hec <est que> significatur per hoc nomen 'uterque'; determinatur enim in binario. Alia est indeterminata, ut hec³ est que est consignificata per hoc signum 'omnis'. Maior autem est multitudo indeterminata quam determinata. Ergo cum hoc signum 'uterque' ratione sue multitudinis ponat hoc et hoc (sequitur enim: 'uterque istorum currit; ergo ille et ille'), ergo ratione fortiori videtur quod sequatur: 'omnis homo; ergo ille et ille'. Et ratio eius sumatur ex participatione de⁴ li 'uterque'.

171 Item ad idem. Hec <dictio> 'omnes' dicit⁵ multitudinem et pluralitatem, et non solum ut est modus significandi sed ut est dispositio rei accepte vel intellecte. Similiter 'omnis' dicit multitudinem. Queritur autem utrum sit solus modus <intelligendi> vel etiam rei accepte dispositio vel intellecte, sicut potest esse modus solum, ut in *lapide* et *petra*. Et a contrarietate talium modorum non causatur falsitas. Hec enim est vera: 'lapis est petra', quoniam non est solum modus intelligendi sed dispositio rei accepte vel intellecte, ut hic: 'asinus est asina'. < >

Cetera desunt

1. bene] non V secl. b

2. ut ... significatur] et hoc significat V

3. hec est que] que est V

4. de li] dein V

5. dicit] dicunt V

13. [sic] alibi V

14. [sic] alibi V

15. [sic] alibi V

INDEXES

INDEX SOPHISMATUM

INDEX VERBORUM ET RERUM NOTABILIUM

INDEX SOPHISMATUM

Addiscere

Quanto plus addiscis, tanto minus scis: II 216

Quanto plus ignoras, tanto magis addiscis: II 218

affirmatio

Omnis affirmationis vel negationis altera pars est vera: I 19

albus

Album fuit disputaturum: II 226

Id quod est album est nigrum, si Sortes est niger: I 40

Si album est si musicum est tu es capra: I 55

Album esse nigrum est possibile: I 93; III 163

Tantum homo albus currit: I 110

Album est nigrum, si Sortes est niger: II 379

Qualecumque est aliquid: si ipsum est album, tale est aliquid, si ipsum est nigrum:
II 284

Sortes desinit esse albissimus hominum: II 129

alius

Omnis asinus est et quodlibet aliud ab illo est non asinus: I 47

Omne musicum est et quodlibet aliud ab illo est non musicum: I 47

Tu es quidlibet vel aliud a quolibet: I 153

Impossibile est aliud ab asino genuisse te: II 4

Omnis homo et alius homo sunt: II 304

Sortes est aliud animal a Brunello: II 74

Sortes potest esse alteriusmodi quam Plato sit modo II 19

anima

Anima Antichristi necessario erit: II 344

Omnis anima necessario est iusta: II 325

Omnis anima est in te: II 398

animal

Omne animal currit: I 29

Antichristus

Falsum verum est, si Antichristus est: II 374

Anima Antichristi necessario erit: II 344

Impossibile est Antichristum esse hominem si non est animal: II 8

Possibile est omnem hominem differre ab Antichristo: II 10

Impossibile est Antichristum esse hominem qui est: II 14

archa

Omne animal fuit in archa Noë: II 394

ars

Solus Sortes scit septem artes: I 119

asinus

Cuiuslibet hominis asinus currit: II 40; III 132

Nullus homo videt asinum nisi Brunellum: II 413

INDEX SOPHISMATUM

Omnis asinus est et quodlibet differens ab illo est non asinus: I 12
 Omnis asinus est et quodlibet aliud ab illo est non asinus: I 47
 Si asinus currit tu es capra si Sortes disputat: I 55
 Nullus homo legit Parisius nisi ipse sit asinus: I 66; II 358
 Nullo homine currente tu es asinus: I 76; II 370
 Tantum id quod est asinus esse asinum est possibile: I 117
 Omnis asinus preter omnem asinum currit: I 146
 Impossibile est aliud ab asino genuisse te: II 4
 Tu tantum non es asinus: II 135
 Si Sortes currit si Plato currit tu es asinus: I 55
 Si ego dico falsum, tu es asinus: II 30
 Omnis homo videt se tantum et quilibet videns illum est asinus: II 100
 Omnis homo et omnis asinus ferunt lapidem preter Sortem et Brunellum: II 161
 Omnis homo est asinus nisi ipse sit eger: II 362
 Si homo est asinus, homo est capra: II 146
 Si Sortes est asinus, Sortes est capra: II 148

assumptio

Sola assumptio precedit solam conclusionem: I 153

audio

Quicquid auditur a Platone profertur a Sorte: II 69

Binarius

Solius binarii pars est unitas et nullus numerus: I 152

bis

Sortes bis videt omnem hominem preter Platonem: I 153; II 298

Brunellus

Sortes est aliud animal a Brunello: II 74

Nullus homo videt asinum nisi Brunellum: II 413

Capra

Si album est si musicum est tu es capra: I 55

Si asinus currit tu es capra si Sortes disputat: I 55

Si Sortes est asinus, Sortes est capra: III 147

Omnis homo est et si ille est Sortes, tu es capra: II 103

caput

Nullum caput habens est aliquod caput habens: II 45; III 132

Omnis homo habet unum solum caput: II 250

causa

Tu scis causam qua non es homo: II 267

chimera

Nichil et chimera sunt fratres: II 309

cogito

Sortes cogitat id quod est verum, si solus Plato cogitat: I 41

color

Omne coloratum est: II 401

conclusio

Sola assumptio precedit solam conclusionem: I 152

contingentia

Sola contingentia esse vera est verum contingens: II 349

Sortes videt contingenter istos: II 93

convenio

